18.

In ſubitaneam & luctuoſam

ANNÆBERGÆ DEFLAGRATIONEM

Epiſtolæ XVI.
Threnodiæ XXX.

à ciuibus patriæ amantibus, aliíſq; conſcriptæ.

Aō 1630
29 Novemb.
rurſum con-
flagrata
eſt Annæ-
berga

ACCESSIT AD SENATUM

TVM POPVLVMQVE EXVSTÆ Vrbis commonefactio, generales quasdam de incendijs ἀποσημειώσεις ac notationes complectens, ſimúlq; conſolationum, quibus erigendi in huiusmodi cladibus ciuium conſternatorum animi ſunt, διέξοδον per capita quædam certa proponens & exhibens.

STVDIO M. PAVLI IENISII
collecta & edita.

Pſalm 46. Deus ſpes & fortitudo noſtra; auxilium in tribulationibus, quæ inuenerunt nos valde.

DRESDAE, Typis Matthæi Stæckelij, 1604.

18.

GENEROSO ET MAGNIFICO DOMINO, DOMINO BVRCHARDO Schenck, Libero Baroni in Tauttenburgk & Frauprisnitz: Sereniſsimo Electori Saxoniæ CHRISTIANO II. à conſilijs ſecretioribus, præfectóq; generali in Freiburgk & Eckhardsberg.

Itémq;

ANTIQVA NOBILITATE, VIRTVTE, DIgnitate, prudentia, vſuq; rerum conſpicuo Viro, Dn. ESAIAE à BRANDENSTEIN, in Oppurg, Grunau & Knau: Conſiliario intimo, ac curiæ Electoralis ſupremæ Lipſ: ampliſs. præſidi:

Dominis ſuis & patronis debita ſubiectione & obſeruantia colendis.

Gratiam & pacem à Deo patre, per Ieſum Chriſtum ſeruat; cum ſpiritus ſancti virtute precatur.

COllegi hinc inde, Viri Magnifici, Threnodias, in patriæ deflagrationem piæ συμπαθείας ergò à diuerſis conſcriptas. Quæ cùm typis euulgandæ eſſent, operæpretium me facturum putaui, ſi eiuſdem argumenti epiſtolas quaſdam inſererem, vt fructum libellus paulò vberiorem afferret. Sunt enim quos ſoluta & libera magis oratio delectat, quàm quæ numeris adſtricta vincto pede incedit. Cúmq; hiſtoricæ ὑπομνήσεις & conſolationes alicubi inſperſæ ſint: vel hoc nomine iucundiores Lectori epiſtolas fore exiſtimaui. Adiecta

Digitized by Google

ad libelli calcem commonefactio eſt, duabus partibus conſtans. In priore cauſas indagare ſtudeo, cur tàm crebra hodie incendia ſint. Atque hîc poteram ſanè vnam hanc & præcipuam cauſam vrgendam ſuſcipere, Mundi ſenectam, qui in extrema linea conſtitutus in quoſuis malorum, miſeriarum, confuſionum gurgites pronus ac præceps abripitur, ſenſim in ſeipſo marceſcens ac deficiens, vt in fine ſeculorum & temporum omni mole ſuâ celeriùs ruat. Sic enim teſtis irrefragabilis Chriſtus: *Audituri eſtis, inquit, bella & rumores bellorum, conſurget gens contra gentem & regnum contra regnum, & erunt peſtilentiæ & fames & terræmotus ſingulis locis, Matth. 24.* Quæ res incitamento nobis ſit, vt ſalutari pœnitentia ad Deum verſi, ſurſúmq; capita (Luc. 21.) attollentes, mundi finem, noſtrámq; omnium ἀπολύτρωσιν iamiam inſtare credamus, animis ſubinde expendentes, quàm graue & horrendum impijs futurum ſit, inextinguibilis gehennæ tormenta nullo fine ac modo terminanda perferre. Verùm plenioris paulò conſiderationis viſa res eſt. Itaq; plures perueſtigare cauſas libuit, quæ ad incendia occaſiones & poſſunt & ſolent præbere: inter quas hominũ partim malitia & deteſtandus in peccando furor, partim temeritas & imprudentia, nec rarò effrenis improbitas eorum, qui leuibus iniurijs irritati, ad ignes conflandos flagitiosè deſcendunt, imprimíſq; Satanæ rabies, præcipuum ſibi locum vendicant. A quibus omnibus Dei permiſſum

miſſum minimè excludendum, qui hominum malefactis ad iuſtam iram prouocatus, huiuſmodi calamitates aut ipſe immittit, aut conſilio nutúq; ſic ſuo eas moderatur & temperat, vt impijs in pœnam, pijs in adiumentum (Rom. 8.) & probationem, reliquis in exemplum cedant, adeóq; ſalutari in omnibus fine terminentur. Altera pars in conſolando conſiſtit, quam cum priori ideo connectere volui, vt intelligat lector beneuolus, ita me in muneris mei adminiſtratione verſari, vt cogitatione tamen ad patriam ſubinde recurram, ac pro vrbis inſtauratione preces apud Deum interponam aſsiduè, cum fideliſsimis verbi præconibus animo iunctus, quos noui ad conſolandum omnes ingenij neruos piè & cordatè intendere.

Equidem patriæ συγχάρματα potius, quàm θρηνωδίας optaſſem. Illa enim rerum ſecundarum, hæ triſtium indicia ſunt. Verùm quia rerum omnium moderatori aliter viſum eſt, exiſtimaui, id me debere præ cæteris patriæ, vt, quandoquidem in argumento iucundiore verſari non licet, vel triſtia hæc ſcribendo συμπαθείας Chriſtianæ ſignificationem publicè declararem. Idq; eò magis conuenire exiſtimaui, cùm ſacræ literæ & recreare iubeant afflictos, & conſolationes, quæ ex ſcripturis tanquam fonte ſuo proprio ducuntur, ſummopere commendent, adeò quidem, vt regius propheta apertè fateatur, ſe vno hoc ſuſtentaculo nixum omnes malorum & afflictio-

num ſcopulos feliciter ſuperaſſe, ipséq; prouerbiorum ſacrorum author affirmare non dubitet, *fauum mellis eſſe verba iucunda, animæ dulcedinem & ſanitatem oſſium.* In quam ſententiam & ſaniores ethnici dixerunt, ψυχῆς νοσούσης ἐστὶ φάρμακον λόγος,

Animi dolentis eſt medela oratio.

Quò magis laudandi ciues alijq;, quibus damnum ab incendijs illatum eſt, quòd cùm norint, quantum in conſolationibus quas ſcriptura ſuppeditat, virium ac ſalutaris energiæ ſit, auidè eas hauriunt, animíſq; dira clade ſauciatis inſtar fragrantiſsimi olei inſtillari patiuntur. Norunt videlicet, conſolationis hunc theſaurum gemmis nobiliorem ac ſuper *aurum & obrizum deſiderabilem* (Pſalm 91.) non ab hominibus, ſed à Deo ipſo, qui ob id θεὸς πάσης παρακλήσεως dicitur, profectum, ínq; ſcripturis ſacris ad noſtrum omnium vſum repoſitum eſſe. Norunt, ſalutis noſtræ authorem Chriſtum, cui *doctorum linguam & gratiam in labijs diffuſam tribuit dominator Dominus*, verbum ſalutis & conſolationis è ſinu patris prolatum enunciaſſe: Dei autem ſpiritum non modò obſignare illud in cordibus, ſed & vim credentibus tribuere, *vt in quibuſuis anguſtijs conſtitutos erigere poſſint ea conſolatione, qua nos ipſos Deus conſolatur (2. Corinth. 1.)* Id dum faciunt, dilectionem in Deum fideíq; πληροφορίαν cum ſpe ſalutaris auxilij iunctam conſpectiorem reddunt. Quam vt ſpero, ita Deus remunerabitur, vt ciuitas ipſorum priſtinum nitorem propediem recuperatura,

ra,

Digitized by Google

ra, nihilq; quod ad priorem κατάστασιν καὶ εὐδαιμονίαν pertinet, deſideratura ſit. Quod pro ſua in credentes bonitate cumulatè pater ille miſerationum concedat.

Veſtræ autem Magnificentiæ ſcriptum hoc nuncupare placuit, cùm ſciam, VV. Magnifi. afflictæ Annæbergenſium Reipub. non benè ſolùm velle, ſed etiam vt è tempeſtate in tranquillum reſtituatur, cum viris nobiliſsimis, eximijs & præſtantiſsimis, quos Magnifi. VV. Collegas & παραστάτας omni exceptione maiores habet, conſilia ac preces apud sereniſſ. Principem Electorem, Dominum noſtrum clementiſſ. ſubinde interponere. Pergite, obſecro, Viri Magnifici, charitatis & beneficentiæ ſtadium feliciter porrò decurrere, idq; indefeſſo ſtudio agere enixè, quod ad commendandam Principi & prouehendam collapſæ vrbis inſtaurationem pertinet: id perſuaſum habentes, VV. Magnificentiam non rem ſolùm Deo gratiſsimam facere, ſed & de vniuerſo ſenatus ac ciuium ordine præclariſsimè mereri. Valete. Die Bartolemæi Apoſtoli, Anno 1604. Dreſdæ.

VV. Magnifi.

ſubmiſsè obſeruans

M. Paulus Ieniſius Annæbergenſis, Concion. aulicus.

Ad Lectorem.

Mens fugit, & trepidos horror formidine ſoluit
Artus, ſanguis abit, corpúsq; relinquit inane,
Haud aliter ſtupui, quàm qui correptus acuto
Morbo viuit, & eſt vita tamen inſcius ipſe:
Cùm mecum præclara vrbis perpendo ruinam
Annæ *quem* Montem *priſci dixere coloni.*

Igniuomus dæmon ſcelerum fraudiſq; Magiſter
Quid poſſit ſoleátq;, ſupremi vbi numine Regis
Permiſſum eſt, moliri, aut quæ queat addere damna,
Hoc diſce exemplo Lector: furit ignis habenis
Immiſſis per tecta, trabes, precioſáq; templa:
Fit vapor, & tremulam volat ater fumus ad æthram,
Concidit vrbs præceps, ciuéſq; relinquit egenos.

Quis duros adeò ſilices in pectore geſtet?
Cui non corda ſtupórq;, timórq; tremórq; repente
Inuadat, quoties fama hæc peruenit ad aures.

Hoc igitur quicunque malum triſte atque nefandum
Et plenè & planè ſecum nouiſſe laborat,
Ieniſij *hunc celebris luſtret videátq; libellum.*

Auxilio at tu CHRISTE tuo nos protege, ſæui
Tres nobis ne hoſtes noceant, caro, lethifer anguis
Et mundus, iunctis nobis qui viribus inſtant.
Sic tibi CHRISTE tuum nomen laudéſq; manebunt.
Interea noſter *præclarus floreat* auctor,
Sitq; memor noſtri, nullum moriturus in æuum.

M. Chriſtophorus, D. Pauli fil.
Laurentius, anno InCenDII
AnnæMontanI.

DE ANNÆBERGA INCENDIO CONSVMTA, EPISTOLÆ à DIVERSIS ſcriptæ.

I.

VIRO REVERENDO, M. PAVLO IENISIO, ILLVSTRISSIMAE ELECTORALIS AVLAE Dresdenſis Eccleſiaſtæ, collegæ & in Chriſto fratri honorando.

SAl. in Domino. In Annalibus ſacris, tùm Ieremiæ Prophetæ, tùm Eſdræ ſcribæ, tùm etiam Nehemiæ pincernæ regij, pietatem in patriam ſummè commendari legimus. Illius quidem, quòd Hieroſolymæ, vrbis olim in toto Oriente & ſanctitatis nomine & ædificiorum ſplendore longè celeberrimæ, conflagrationem & interitum acerbis threnodiis ac lugubribus lamentationibus ſuis proſecutus eſt. Horum verò, quòd eiuſdem vrbis inſtaurationem, tam apud Principes viros, quàm apud ſympatriotas ſuos, omni conatu promouere ſtuduerunt. Horum Sanctiſsimorum veſtigijs tu M. Paule Ieniſi, vir reuerende & pientiſsime, collega & frater in Chriſto honorande, quantum video, inſiſtis, & vtrumque præſtare niteris, dum non tantùm priuatim miſerandam patriæ tuæ Annæbergæ, vrbis non ita pridem ſplendidiſsimæ, iam verò, Deo ſic permittente, penitus proſtratæ & in cineres redactæ, ſortem acerbè doles, ſed etiam Threnologias ab alijs, vrbis illius amantibus viris, conſcriptas colligis, eáſque pia & ſolida παραινέσει ad ſenatum patriæ directa

exornatas, in publicum emittere cupis. Sic q; ſimul & caſum ſeu ruinam nobiliſsimæ illius ciuitatis deploras, & quantum in te eſt, eandem reædificare ſtudes. Ciuitates ſiquidem collapſas ædificat non is tantùm, qui ligna & tigna conuehit, aut qui lapides, tegulas & cæmentum comportat, nec etiam qui pecuniam & alia adminicula ſubminiſtrat: ſed etiam qui animum ciuibus addit, ne patriam deiectam & in ſummis anguſtijs conſtitutam deſerant, quin potiùs ſedata diuini numinis ira, & mente ad ſinceram pietatem compoſita, magna ſpe & ingentibus auſis ad eius inſtaurationem accedant. Sæpenumero enim experientia magiſtra docuit, eiusmodi ciuitates, quæ Deo conniuente à flammis totæ conſumptæ fuerant, poſtea extincta Dei ira (quæ eſt ignis ille conſumens) ad maiorem florem & ſplendorem conſcendiſſe, quàm vnquam priùs fuerint. *Ad punctum enim in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te: ſed in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, dicit Redemptor tuus Dominus, Ieſ. 54.* Hoc vt chariſsimæ patriæ tuæ Annæbergæ quoque eueniat, Deum ter Opt. Max. toto pectore precor.

Cum primis autem mihi probatur, quòd in tua illa de hac Annæbergenſium clade commonefactione media ingrederis via: & nec nimis molli brachio tuos cõciues tractando, ſecuritatem, proteruiam & peccandi licentiam in illis alis nec acerbiùs in eos inuehendo, in pios ac probos (quorum Dei beneficio adhuc magnum ibidem numerum eſſe audio) iniurius es, nec occaſionem ipſis præbes, vt & ipſi animo toti deijciantur, sicq; ad diffidentiæ barathrum adducantur. Hac ratione habebunt tam pij quàm improbi, quod ſibi fructuosè applicent, & vnde vel hi ſe emendent, vel illi in patientia confortentur, quò Deus anſam habeat tantò impenſiùs ipſos miſerationis ſuæ oculis intuendi;

Digitized by Google

tuendi. Nam & malis in τιμωρίαν, & bonis in δοκιμασίαν, nobis verò omnibus εἰς παράδειγμα Deum hanc aduerſitatem Annæbergenſibus immiſiſſe non eſt dubium. Quapropter etiam ipſi certò experientur, ſi toto corde conuerſi fuerint ad Dominum Deum ſuum. & pia diligentia in vrbis inſtaurationem incubuerint, Dei bonitati, qui ſolus damnum reſarcire poteſt, fidentes, futurum, vt idem verè de ipſis dici poſsit, quod Deus olim per Prophetam populo ſuo dixit: *Ego tecum ſum, vt ſaluem te. Faciam conſummationem in gentibus: te autem non faciam in conſummationem. Sed caſtigaui te in iudicio, vt non videaris tibi innoxius. Obducam cicatricem tuam, & à vulneribus tuis ſanabo te, dicit Dominus.*

Cùm igitur non dubitem haſce tuas meditationes, cum carminibus adiunctis, futuras pijs ſolatio, peccatoribus autem incitamento, vt Deo creatori ſuo ita ſe accommodent, ne nobilis huius ciuitatis incolas in ſempiternum repellat, ſed vt ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum, ipſorùm rurſus miſereatur; omnino te hortor, vt earum publicationem in nomine Iehouæ adornes. Mea tamen opinione, multis bonis (inter quos etiam meipſum numero) officium non minùs gratum & acceptum præſtabis, ſi Annalium illius vrbis, quos dudum conſcripſiſti, quósq; ego ante decennium in thermis Iobianis ſumma cum animi oblectatione perlegi, euulgationem maturaueris. Sic enim non tantùm nobis, verùm etiam poſteris rectiùs conſtabit, qualis fuerit Annæberga vetus, qualis ſit noua: & quomodo Deus vrbem illuſtrem in viles cineres redigere, in fauillas autem redactam viciſsim erigere, & pro bonitate ſua illuſtriorem reddere queat. Bene vale in Chriſto. Dabantur Pirnæ 8. Aug. Anno 1604.

T. in Domino,

Polycarpus Lyſerus D.

SAlutem & felicitatem ſempiternam. Deploraui ego cum multis alijs, vir reuerende & clariſsime, compater honorande, cladem miſerabilem patriæ tuæ Annæbergæ, quam natam amplificatámque tot annorum decurſu, diecula vnius dimidiæ incendium penè totam abſumſit. Dolui fortunam optimorum ciuium, quorum expertus ſum humanitatem ſummam & beneuolentiam, cùm annis ſuperioribus (vt ſcis) ſcholæ gubernatio, TE ad Eccleſiæ miniſterium decedente, mihi in eo loco commiſſa eſſet. Et quis eſt, quem non vehementer afficiat ornamentum illud vrbis ſingulare, Templi inquam ſtructura magnifica, quæ non penitus quidem incendio conſumta, ſed flammis defœdata tamen & deformata non parùm eſſe dicitur? Taceo Muſea atque Auditoria Scholaſticarum ædium egregia, cum ædificijs alijs ampliſsimis, priuatis & publicis, quæ ſimul abierunt in cinerem, & ſic faciem vrbis triſtiſſimam reliquerunt. Mihi profectò repetenti animo priſtinam illam amœnitatem loci, & vrbis pulchritudinem, atque intuenti iam in hanc vaſtitatem & in hæc rudera (qualia ex aliorum commemoratione ſaltem cônijcio) verè pronunciari poſſe videtur de hac patria tua, quod de Græciæ quadam vrbe primaria ſuo tempore dicebat Tzetzes ille πολυίςωρ: Δακρύσει καὶ πολέμιος νῦν ὁρέων τὸν τόπον, Lacrumas fundet etiam hoſtis, ſi hunc iam aſpiciat locum. Vtinam verò clades hæc inuſitata non etiam communibus rebus noſtris ſit ominoſa, maiúsque malum aliquod his regionibus portendat. Nam exempla ſimilium euentuum in promtu ſunt. Et quid boni nobis hoc tempore denuncient illi προμηνυςῖνοι θάνατοι ſummorum virorum & doctorum Eccleſiæ, qui vno atque altero menſe ſimul erepti ſunt his Academijs, facilè (vt opinor) vnusquisque intelligit. Auer-

tat

tat DEVS à nobis irâm ſuam, & quæ aduerſa metuimus, ea ſalutaria rebus noſtris, fauſtáq; ac felicia eſſe iubeat, propter CHRISTVM filium συναΐδιον, qui μεσίτης καὶ ἱκέτης noſter vnicus eſt. Quia verò intellexi, Domine compater honorande, in Annæbergam incendio conſumtam carmina quædam ſiue Epigrammata colligere te velle, exiſtimaui omnino in numero eorum, qui Annæbergam etiam in cineribus iacentem hoc tempore ornaturi ſunt verſibus ſuis, me quoque eſſe oportere. Adiunxi itaque literis hiſce Epigrammata duo, verè ἐσχεδιασμένα atque extemporanea, de quibus TV pro arbitrio tuo ſtatues. Mihi profectò inter occupationes multiplices limatius aliquid dare non licuit hoc tempore. Inciderunt autem fortè in manus, cùm hiſce diebus quaſdam meas chartas euoluerem, verſiculi, quos in natalem Annæbergæ abhinc decennio ſcripſi. Hos ſimul legendos ſaltem tibi transmitto. Bene vale cum omnibus tuis, & ſalue ex me meiſq; quàm officioſiſſimè. Dabantur Lipſiæ 25. Iunij, anno 1604.

M. Ioannes Fridericus, Profeſſor Acad. Lipſ. atque iterum hoc tempore Rector.

III.

SAL. in Domino. Te, reuerende & amiciſsime vir, ingenti mœrore ex infelici nuncio de patria tua Annæberga affectum eſſe exiſtimo, quæ diuinæ Maieſtatis permiſſu, flammis de improuiſo exortis conſumta, & in fauillas diſſoluta eſt. Quàm vehementer autem hic rumor, qui apud nos viritim percrebruit, nos perturbarit, & in quantum coniecerit luctum, fando

do certè exprimi nequit. O ingentem cladem, quam dulciſsi-ma tua patria perpeſſa eſt. O inenarrabilem luctum, quem inde Annæbergenſes conceperunt. O miſerrimum ſtatum, in quo iam Annæberga collocata eſt. Attamen non eſt deſperandum in ſummis his infortunijs, ſed patientiæ lorica induenda. Neque enim eſt Sodomiticum incendium, quod omnes omnium gentium hiſtorias ſuperat, omnésq; ſenſus in horribili illa vindicta iubet intendere, vt, quoniam ſine ingenti cœli & terræ concuſsione minimè accidit, meritò ad diuinæ Maieſtatis nomen expaueſcamus. Noluit enim Deus ſolo terræ hiatu abſorberi vrbes illas, ſed quò illuſtrius eſſet iudicij ſui ſpecimen, è cœlo ignem & ſulphur iaculatus eſt, incolas conſumſit, & ita ſingulare peccatum ſingulari vltione, & abominandum ſcelus graui & horrendo ſupplicio vindicauit, vt apud poſteros grauitas pœnæ, ſceleris huius abominationem & horrorem gigneret. Erat regio, quam Sodomitæ inhabitabant, inſtar paradiſi Domini. Iam verò vbi omnis illorum ſplendor? vbi opes? vbi ſuperbia? vbi regionis amœnitas & fertilitas? certè omnia in fumum abierunt. In loco Sodomorum vix decem iuſti inueniebantur: viuebant in Epicureo contemtu Dei, cuius verbum ſuperbè aſpernabantur: omni genere vitiorum ſe polluebant, vim inferebant Lotho, ianuam eius effringere moliebantur. Annæbergica quidem afflictio pœna eſt & concio realis, qua inuitamur ad agendam pœnitentiam, éſtq; prodromus ignis vltimi, & crebritates tot incendiorum ſunt ſigna aduentum Domini è vicino præcurrentia. Quòd verò afflictio illa ſit τιμωρία impijs tantùm debita ſimpliciter & categoricè nemo dixerit. Species enim crucis & calamitatum ſunt: λύτρον, Chriſti compenſatio pro delictis: μαρτύριον, teſtimonium doctrinæ & confeſsionis: τιμωρία, mera pœna peccatorum: δοκιμασία, probatio: mixta, quæ ex vtroque gradu aliquid habet, & ex τιμωρία fit

δοκιμασία,

δοκιμασία, propriè tamen ex poſteriori eſt definienda, propter Deum placatum & perſonam reconciliatam. Fiunt enim τιμωρίαι δοκιμασίαι, partim Dei reſpectu, quo ad cauſam προηγουμένην, quia non ex indignatione immittit, & quo ad cauſam finalem, quæ eſt ſalutaris: partim reſpectu piorum, quo ad cauſam formalem, quia crux piorum eſt onus toleratu facile. Sic Paulus vocat afflictiones παιδείας, paternas caſtigationes, & παθήματα τοῦ χριστοῦ, licèt non tenuia commiſerit peccata. Ergo quibuſcunque de cauſis, ſuis Deus imponat ærumnas, modò pœnitentiam egerint, propriè non ſunt pœnæ, ſed paternæ caſtigationes vocandæ, & in ipſa calamitate poſſunt pij gloriari, quòd afflictiones Chriſti ſuſtineant. Hac conſolatione etiam noſtri Annæbergenſes ſeriò pœnitentiam agendo ſeſe erigant, quorum pietatem in viſitatione Electorali ipſe vidi, eáq; mirificè delectatus ſum, & eandem apud Te, ex animo fideliſsimo profectam, depono, vt meam erga afflictos συμπάθειαν teſtatam faciam.

Non ſine cauſa grauiter doles Eccleſia Annæbergica, diris acta tempeſtatibus, & multis miſerijs expoſita, attamen non prædæ data hoſtibus. Animum igitur concipe, nec abijce omnem ſpem. Magnus ille Rex gloriæ tecum eſt in tribulatione, diuino robore te ſaluabit, fontem ſuæ bonitatis aperiet. An non meminiſti dulciſsimæ illius promiſsionis, quam inſonat auribus tuis? *Ego feci, ego feram vsque ad canos, ego ipſe, & vsque ad ſenectam: ego portabo, ego geſtabo, & ſaluabo eam, Eſa. 45.* Tu ſaltem reddas illi vocem, qua mirificè delectatur, Pſal. 71. *in te confiſus ſum ex vtero, de ventre matris meæ tu extraxiſti me, de te laus mea ſemper. Ne proijcias me in tempore ſenectutis: cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Intuere promiſsiones, quibus præclarè munita es, vt Satanæ inſultus fortiter contemnas. Hiſce confirmata erige animum, & reuer-

tere ad Dominum, qui te percuſsit, cúmq́ efficaciſsimis tuis precibus citra remiſsionem interpella. Qui enim omnia habet in manu ſua, & regit omnia nutu ſuo, is non obliuiſcetur tui, nec petitioni tuæ factæ in ſpiritu quidquam denegabit. *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram: Benedicat te Deus noſter, & metuant eum omnes fines terræ, Amen.*

Hæc ſunt, quæ ad te ſcribere volui, quæ vt in optimam partem interpretere, peto. Denique te cum tuis omnibus protectioni diuinæ commendo. Dabantur VVurcenæ, anno τῆς χριστογονίας 1604. menſe Iulio.

D. VVolffgangus Mamphraſius.

IV.

SAl. D. P. Audio, vir doctiſsime, te ob incendium, quod Annæbergam patriam tuam euertit, curis adeò angi atque conturbari, vt dolore confici, & ſolicitudine propemodum examinari videaris: nunc miſerando triſtiſsimam pulcherrimæ vrbis conflagrationem, nunc miſerendo optimorum ciuium, quorum fortunæ facultatésq́ conſumtæ ſunt: nunc indagando cauſas, ob quas præ alijs vrbibus in tam exitialem prorſus calamitatem inciderit patria tua, vt, quemadmodum Annæbergenſes hactenus multis alijs ciuibus feliciores fuerunt, nunc omnium δυστυχέστατοι haberi poſsint. Ac qui in eiuſmodi luctu nullius etiam συμπαθείας indicium oſtenderet, nec vllo dolore affliceretur, οὐ θεὸν, ἀλλὰ θηριῶδές τι declararet. Nollem tamen mœrorem tuum maiorem eſſe, quàm quem pietas admitteret, quémq́ animus tuus ferre poſſet. Perijt incendio patria tua, ſenſe-

ſenſerunt eandem calamitatem aliæ vrbes. Sic anno 1403. Sprotta Sileſiæ vrbs tota conflagrauit cum monaſterio & templo. Anno 1420. Glogauia igne perijt. Erphordia vrbs, eodem anno (quod ferunt) cum Venetijs condita, anno 1472. à Monacho prædicatorum ordinis incenſa fuit & euerſa. Merſburga intra centum & quinquaginta annos quinquies miſerabili igne interijt. Et Saganum vniuerſum anno 1486. Sic & Tubingæ anno 1540. incendium fœdam ſtragem dedit. Nihilominus tamen oppida hæc ſuperatis laboribus ſuis, Deóq; larga commiſeratione & benedictione ipſis ſuccurrente, nunc cum ciuibus ſuis florent, cuiuſmodi fortunam & tuos ciues ſperare iubeo. Cauſam huius Tragœdiæ diaboli nobis ἀσπερχὲς μενεαινομένȣ (qua voce Homerus, Neptunum Vlyſsi indeſinenter iraſcentem deſcribens, vtitur Odyſſ. 1.) furorem fuiſſe nouimus, & peccata noſtra, quibus, proh dolor, nimiùm indulgemus, & Deum ad eiuſmodi excandeſcentiam irritamus. Ac, quantum tui populares Deum offenderint, definire ego nolo: ac potiùs, cur laudem eos, multa habeo indicia, cùm religioſæ pietatis, ſapientiæ & iuſticiæ cultores, circumſpectos, & in officio diligentes eos fuiſſe conſtans fama ſit. Concludo itaque Deum alieno, id eſt, patriæ tuæ periculo, nos omnes voluiſſe cautos facere, vt ſimiles pœnas effugeremus per pœnitentiam, quæ vna viam nobis monſtrat euitandi ἀτυχήματα, quemadmòdum & Chriſtus cæde Galilæorum & interitu illorum, quos turris Syloa oppreſſerat, & à fortuna ſterilis arboris, atquè ſic alienò exemplo nos ſapere iubet. Alij igitur ex incendio patriæ tuæ nobiſcum ægras mentes habebunt, & Dei iuſti iudicis in nos furorem animaduertendo precabuntur, vt noſtri miſertus, non ſolùm nobis propter Chriſtum peccata condonet, ſed & inſtantes calamitates in hac vita aut remittat prorſus, aut mitiùs ſaltem exigat. Hæc ad Te, vir amiciſsime, hoc tempore

C ſcri-

ſcribenda eſſe putaui: tu verò & populares tuos eriges, &, quod res poſtulabit, ſcribendo conſolabere. Vale. Scr. Dreſdæ prid. Cal. Maij, anno 1604.

Paulus Laurentius Theologiæ D. & S.

V.

SAl. in Domino. An vel quid ſcribam, vir reuerende & doctiſsime, amice optime, neſcio. In tantum mœrorem, nec non terrorem coniectus ſum, triſtiſsimo nuncio de conflagratione Annæmontis & vrbis tam ſplendidæ & excelſæ, communis & chariſsimæ patriæ noſtræ, quæ nos genuit, aluit, fouit, auxit, honorauit & amanter ſemper habuit, & ſi quid in ea ſupereſt, etiam nunc habet. In tota vita mea triſtius accepiſſe nuncium mihi non videor. Nihil tamen etiam nunc certi habeo, quàm quòd Annæbergum nihil ſit, & in cineribus iaceat totum. Tantum eſt, & proh dolor nimium, auditione & fama communi quod cognoui, ex literis vllius ne verbum. Igitur adhuc fiducia mea, qua Deum miſericordem intimè credo ſemper, ſperare etiam nunc iubet meliùs, & in conſternatione cogitationum mearum ſæpius illud pſalmi mihi reſpondi: *Ego autem in miſericordia tua ſperaui: Exultabit cor meum in ſalutari tuo.* Nec poſſum non tecum, quoties vel cogito, vel verbis mentionem facio huius exinanitionis, vbertim flere, & triſtè gemere. Felix filius meus, cui prærepto beata morte, hæc audire non contigit. Vale. Coldicij, 6. Maij 1604.

T. Adam Herman. Paſtor S.

Sal.

VI.

SAl. Non poſſum, vir reuerende & amiciſsime, facere, quin porrò aliquid tuis reſpondeam literis. Quas vt tu cum lacrymis ſcripſiſti, (notæ enim lacrymarum & lituræ ex illis manifeſtæ apparebant in ſingulis literarum faciebus) ita ſine lacrymis & gemitibus ad ſingulos ferè verſus legere non potui. Ita exaggerabas, vel ſtudebas potiùs exprimere, quæ ſuperant omnium noſtrum cogitationes & querelas. Neque etiamnum ab eo die, quo cognoui Annæmontis præceps fatum, abijt hora, quâ non ingemiſcam triſtis. Sed imperandum tamen ipſis nobis eſt, nequid vltrà. Collegi igitur mihi quædam cogitando, quibus non tantùm Deum iratum vrbi iacenti fuiſſe mihi perſuadeo, ſed & miſericordiæ ſuæ non prorſus oblitum (cuius in ira recordatus eſt tamen) affirmare cum gratiarum actione poſſum.

Quòd enim vrbis tam præclaræ & illuſtris deflagratio, Deo ſic ordinante & conniuente, diebus æſtiuis & longiſsimis, nec hyemalibus contigit, ex parte beneficij habendum eſt loco. Sic enim miſeri exules, ſedibus ſuis verè, quamuis domi ſint, pulſi, cum familijs & paruulorum grege, ſub dio, neceſsitate adigente, ad tempus viuere, & ante hyemis ſæuitiem aliquid nidulorum congerere poſſunt commodiùs.

Neque intempeſta nocte cœpit incendium, quod longè triſtius horribiliúsq;, nec ſine multorum hominum miſerrima ſtrage fuiſſet, ſed ipſo meridie vel paulò pòſt, vigilantibus omnibus ingruit. Hac quoque ratione Deus amator vitæ, ſicut hominum pepercit vitæ, (pro qua homo relinquit omnia) ita

nec ex brutis ferè vllum interire voluit, dum circiter illam horam pomeridianam pro more ex ſtabulis dimiſſa ferè ſunt pecora.

Quòd inſuper de bonis mobilibus, quæcunque locis ſubterraneis à perterrefactis, & de cæteris rebus ſuis deſperantibus, congeſta ſunt, pleraque, vt intelligo, conſeruata fuerunt. Communis videlicet metallicorum ſors eſt, vt ex inferioribus terræ locis, ſua quæ habent bona, Domino benedicente, ſibi comparent: atque ex terræ viſceribus effeſſa & egeſta ſunt hactenus, vnde tam ſplendidum oppidum, vnius ſeculi ſpacio, monti ſuperimpoſitum eſt. Dominus Deus Schaddai, qui pluribus ſemper abundat, ſua porrò benedictione venas reddat fœcundas, vt Hiobi abundantiam experiantur, cui Deus duplo cum fœnore ablata reddidit, vt, ſicut iam lamentantes gemunt: *Deus abſtulit:* ita paulò pòſt lætantes canant: *Dominus reddidit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.*

Quin & templi ædificium, multis in regionibus celebrati, maxima ex parte conſeruatum eſt, licèt in præcelſa turri æra precioſa & ſonora liquefacta, cum organo muſico turri adiuncto, flamma vorax cineribus miſcuerit. Laudandus Deus certè eſt, quòd, quamuis ciues ad ſuas ædes redire, quæ nullæ ſunt, non potuerint: tamen in domum Domini reditus ipſis patet, *vt viſitent templum eius, & videant voluptatem Domini,* & Deum loquentem conſolantémq; audiant, pſal, 27.

Mœnia quoque vrbem ambientia, quæ ne flammæ ardor & impetus deijceret, conſeruata ſunt, ſpem non dubiam facere

incolis

incolis debent, manſuram tamen vrbem in hoc montis Annæ loco, Deúmq; in circuitu protectorem futurum ſemper, pſal. 125. Zachar. 2.

Summum & maximum in his miſerijs proſtratorum ciuium ſolatium puto, quòd Chriſtiani ſunt, qui hæc nunc patiuntur aduerſa. Non igitur eſt, quòd deſperent, ſed magis in Dei caſtigantis, vt patris, voluntate acquieſcant, & cum patientia meliora etiamnum ſperent. Quam ipſis Deus gratiam vt largiatur & conſeruet propitius propter Chriſtum, comprecor toto pectore. Diſcimus, quàm hæc, quæcunque poſsidemus in terris, ſint caduca & tranſitoria, vt, qui hodie abundat opibus, cras ſua cuncta videat concremata in cineribus.

Tolerabilius quoque multò, ſic incendio vrbs vt interiret, diuino fato vrgente, factum eſſe: quàm ſi à Turca flammis iniectis exuſta eſſet, vbi nec ſpes ciuibus redeundi, nec reædificandi manſiſſet reliqua, quin & de omnium ipſorum vita conclamatum actúmq; fuiſſet.

Ciuibus ſingulis ædes concrematæ ſunt. Magnum hoc certè: ſed maius aliud damnum eſt, quòd Principi noſtro illuſtriſsimo vrbs perijt, non ſine iactura & diſpendio totius regionis Miſnicæ. Hoc enim oppidum licèt præceps fatum habuerit, tamen, mea vt fert opinio, aliquot, dum florebat, & non paucas auri tonnas Magiſtratui & toti regioni contulit: cui, nunc quod conferat alijs, nihil eſt, ſed ſibi vt conferatur opus habet. *At nouæ ſunt Domini miſerationes vnoquoque diluculo,* Thren. 3.

ANNO 1539. Peſte extincti ſũt homines 2201.

Faxit Deus propitius, vt vitam emendemus. Ante annos quinque eadem in vrbe, peſtis horribiliter ſæuiens magnas ſtrages edidit, & ſolitudinẽ in ædibus plurimis fecit. Sed quæ ſecuta ſit morum in melius emendatio, ij teſtes ſunt, qui nunc alia in pœna & grauiore quidem hærent. Faxit, inquam, Deus, vt nunc tandem correctiores euadamus, ne fortè etiam audiantur voces eorum, de quibus Eſa. 9. ſcriptum legimus, quòd dixerint in ſuperbia & magnitudine cordis: *Lateres ceciderunt, quadris lapidibus reædificabimus: ſycomoros ſucciderunt, ſed cedris immutabimus.* Niſi pœnitentiam egerimus maiora nos circumſtant pericula, & tandem (quod abſit ab omnibus Chriſti nomen profitentibus) Gehennæ incendium, in æternum quod non extinguetur. In nos quoque deſcendamus, & ardentem Annæmontem intueamur, ſicut Scipio Carthaginem conflagrantem intuitus eſt non ſine lacrymis & verbis fatidicis, vt hiſtoria habet.

Certò mihi perſuaſum habeo, neque ego fallor: multos Deus in communitate ciuium Annæbergenſium habuit, habétque ſanctos & pios, quos nunc caſtigat. DEVS, inquam, ille, qui olim propter decem iuſtos quinque parcere voluit regnis. Cur ergo non peperit propter plures pios nunc vrbi vni? Abraham fortè ipſis defuit, qui intercederet pro ipſis. Imò plus hîc eſt quàm Abraham, ſiquidem Chriſtus pro nobis interpellat aſsiduò. Sed *iuſtus eſt Dominus, & rectum iudicium eius, Pſal. 119.* Neque ſemper hi ſunt inter alios hominum peſsimi, qui malis affliguntur plurimis, ſiquidem *iudicium Domini à domo Dei incipit, 1. Pet. 4.* Vtinam Annæbergenſes ſolùm ſint peccatores, meliùs profectò res ſe in mundo haberent, neque ex omni angulo terrerent nos mala, & gliſceret vnde-

neque

quaque extrema perditio. Vnde ſedulò nobis orandum puto: *Veni Domine Ieſu, veni, Apocal. 22.*

Hæc ſcribens non vſque adeò vtebar commoda valetudine, vt etiam à laboribus propterea impedirer vſitatis alijs. In Calendarijs reperio diem Anaſtaſii ad 27. Aprilis, qui dies eſt funeſtus Annæbergo, quod nomen eſt ab ἀνάστασις, quæ dictio interdum (vt Grammatici annotant) excidium & ſubuerſionem ſignificat, interdum verò & ſæpius reſurrectionem. Vtinam idem nomen etiam afferat omen vrbi collapſæ, de inſtauratione lætiore & maturiore. Vale & meus eſſe perge. Signatum Colditz 4. Iulij, anno InCenDIo perIIt Mons Annæ.

Adam Herman Paſtor S.

VII.

SAlutem & gratiam Immanuelis τοῦ ἰησοῦ χριστοῦ. Reuerende compater, ſicut ſcripſeram nuper, me Annæbergam cum vxore, vtcunque ſe recolligente, modò vectura non deſit, aſcenſurum: ita præmiſi conductitium curſorem, qui priùs de aliquibus aliquid cognoſceret. Sed proh dolor, quando eò venit, arſit tota vrbs, & cum vrbe noſtræ ædes in vicinia cœnobij, adeò, vt non poſſet ille quidquam inde exportare, vel intra fornices concludere. Iam nihil auxilij, nulla conſilij copia præſtò eſt. Cogitabam ad veſtra aduolare limina, & σπλάγχνα οἰκτειρμοσύνης implorare: ſed & negocia publica inſtantis ſynodi & expeditiones aliquot introductionum nouitiorum paſto-

rum

rum à Conſiſtorio demandatarum me retrahunt, vt differendum ſit iter poſt Encœnia noſtra Trinitaria. Si tamen literis me aliquid ſubmonere velis, (vt te ſpero poſſe) obnixè peto reſponſum. Hæc illa clades incendiaria (æſch lorit) vt loquitur Amos 7. cap. animo obuerſata fuit ſtatim in noſtro incendio ante octennium. Nam vide quæſo, an non ſint omnia fatalia. Die 28. Aprilis noſtra Biſſouerda incendio perijt, & ego vnà cum coniuge, liberis & filia in primis Annula (præ terrore mortua) afflictiſsimi fuimus. Pridie eius diei iam Patria tua & noſtræ ædes, in quibus quædam cuſtodire volebamus de ſupellectili, quam his noſtris ruderibus concredere non erat tutum, imò non vltima pars Bibliothecæ ex Patribus collectæ, mihi perijt, vxori autem & liberis tota ſupellex cineribus & Vulcani ſæuitia obruta iacet. O Deus, ô Chriſte ſerua tu nos: dic angelo percutienti, Ceſſet iam manus tua. Lacrymæ plura non admittunt. Quæſo meam hanc miſeriam & meipsū commendes patrono ἰυσόργῳ πολυκάρπῳ. Dabantur 10. Maij, anno InCenDII Anna MontanI, Biſſouerdæ.

M. Albertus Lyttichius Paſtor Superatt.

VIII.

GRatiam Dei & pacem per eum, qui eſt plenus gratia & veritate. Cognoui, vir reuerende, lugere te & deplorare adhuc excidium Annæbergæ, vrbis clariſsimæ & chariſſimæ. Qua in re non poſſum non tibi me ſocium iungere, vterque enim luctus cauſſam habemus ſatis grauem, licèt tu magis prægnantem. Mater enim tua fuit, quæ te peperit & educa-

uit:

uit: mea verò nutrix fuit, quæ vltra triennium me blandiſsimè fouit & pauit, vbi tua opera & inſtitutione fideli, artium & linguarum doctrinâ ſum imbutus. Cuius beneficij, ab Annæberga per te in me collati, dulcis imago ſemper mihi ob oculos & in animo verſatur. Scias igitur me tecum eodem in luctu conſtitutum, propter dulciſsimæ nutricis meæ Annæbergæ obitum. Quantis lacrymis proſecutus eſt funus nutricis ſuæ Caietæ Æneas heros, & quàm honorificum ipſi monumentum poſuit? Celebris eſt nutrix Vlyſsis Euryclea. Sed Debora Rebeccæ nutrix celebrior, ex Spiritus Sancti commendatione, Gen. 35. Cuius mors valde triſtis & acerba fuit, luctum afferens Iacobo & deſiderium familiæ, planctum & eiulatum tantum in animis Iſraëlis & omnium, qui cùm ipſo erant, creans, vt in ſignum amoris & luctus ſui, locum ſepulturæ quercum fletus vocarit, apertè teſtatus, ſe cum tota familia nutricem ſuauiſsimam multis lacrymis ſepeliiſſe. Digna tali monumento Debora: dignior tali, & celebriori quidem Annæberga. Illa enim vnius tantùm Rebeccæ nutrix: hæc & mater innumeræ ſobolis, & nutrix tot tyronum philoſophiæ, alijs ex locis confluentium, quam multitudinem totam & benignè aluit, & literis ac pietate ita informauit, vt hoc nomine plurimæ Eccleſiæ & reſpublicæ nunquam ſatis dignas gratias Annæbergæ agere poſsint. Nihil dicam de illis, qui ex venis eius, auri argentiq; copiam ſuxere. Pia igitur pectora decet mecum lugere, & ardentibus Deum votis inuocare & exorare, vt in cineribus ſepultam Annæbergam primo quoque tempore erigat & reſtituat, quò fidelis matris & nutricis officio ad extremum vſque diem quàm plurimi vti frui queant.

At tu dulciſsima Annæberga nunc cineribus obruta iaces per aſtutam & potentem maliciam eius, *cuius ſternutatio ſplendor ignis, & oculi eius vt palpebræ auroræ: de cuius ore lampades*

Digitized by Google

procedunt, & ſcintillulæ ignis emittuntur: de naribus procedit fumus ſicut ollæ feruentis atque aheni, halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur, Hiob. 41. Et tamen iſte ignis, quo Satanas peſsimus te & olim optimi Hiobi oues conſumſit, eſt ignis Domini, Hiob 1. quòd diaboli quidem opera, ſed non ſine Domini permiſſu ſit accenſus, quódq; ex diuina illa diſpoſitione & determinatione, omnibus pijs & Deum timentibus ac diligentibus, cooperetur in bonum, vt reliqua aduerſa omnia fidelibus cedunt in optimum, Rom. 8. *Hic enim aurifaber optimus maximus ſedens conflat & emundat argentum, & purgat ac fundit electos quaſi aurum, Mal. 3. in furno afflictionis, Iſa. 48. quo pij tranſeuntes per ignem & aquam educantur in refrigerium, Pſal. 66.* Quemadmodum enim Dominus de expugnatis vribibus, nihil voluit reponi in ſacrum theſaurum, niſi quod ignis vim poſſet pati & perferre, Num. 31. ita pro ſuis nō agnoſcit, qui non igni examinati ſunt ſicut argentum, Pſal. 66. Et certè hic ignis in pijs accendit thura precationis ardentioris, & flammam ſubminiſtrat fidei, qua fideles ſtatuant, Deum ipſis omnia bona concremata duplo redditurum, Hiob. 42. & quamuis combuſta ſit domus & omnis ſupellex in ea, tamen ſpes in Domino adhuc integra, ſalua, ſarta, tecta permanſit, in quam nulla vis ignis aliquid habet iuris. Ideóq; in medio igne benedicitis nomini Domini cum Hiobo 1. & tribus viris in fornace Babylonica vno ore laudantibus Dominum, Dan. 3.

Vos verò, qui ſpectatores eſtis huius miſerrimi excidij, memineritis Deum caſtigare catulum leænæ ob oculos, (vt cōmuni dicitur prouerbio) vt animum veſtrum fortiùs penetret dictum Chriſti: *Si hoc fit in viridi ligno, in arido quid fiet? Luc. 23. An putatis, quòd hi præ omnibus peccatores fuerint, qui talia paſsi ſunt! Dico vobis, quòd non: ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis, Luc. 13.* Ignem quo Hieroſolyma exuſta eſt, quibus oculis intueri nos oporteat, Apoſtolus mon-

ſtrat

ſtrat, Rom. 11. *Noli*, inquit, *altum de te ſentire, ſed time. Si enim naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, ſeueritatem: in te autem bonitatem, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excinderis.*

Lætatur verò clade hac religionis noſtræ hoſtis. Sed quid Annæberga? *Ego*, inquit, *Dominum aſpiciam, expectabo Deum ſaluatorem meum: audiet me Deus meus. Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cecidi: conſurgam enim. Cùm ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt*, *Mich. 7. Attendite, veniet dies Domini, in quo cœli magno fragore tranſibunt, Elementa verò calore ſoluentur, terráq; & quæ in ipſa ſunt, opera exurentur*, *1. Pet. 3.* Et, *Ecce, dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes contemtores & facientes impietatem ſtipula: & inflammabit eos dies veniens, quæ non derelinquet eis radicem & ramum: Timentibus verò Dominum orietur ſol juſtitiæ*, *Malach. 4.* Nos ergo cum Auguſtino: Hîc ſeca, hîc vre, modò in æternum parce. Scimus nos hîc non habere manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus, Hebr. 13. *Expectamus enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor eſt Deus, Heb. 11.*

Interea tamen videre mihi videor dextram Iehouæ extenſam ad excitandam & erigendam Annæbergam, ſurgenti iam & erigenti ſe manum auxiliatricem porrigite, qui diligitis Dominum, qui valetis opibus & ſumtibus. Hilares eſtote datores, quos diligit Dominus, 2.Cor.9. Deum habebitis remuneratorem, qui cuſtodiat ciuitates, & ædificet domus, ſinè cuius cuſtodia & tutela actum erit de noſtra cura & labore, Pſal. 127. Benignè igitur fac Domine in bona voluntate tua Annæbergæ, vt ædificentur muri eius. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, Pſal, 51. Et tibi fautorem meum leniſſimum commen-

datum habe, deſiderium cordis eius tribue ei, & petition
labiorum eius non denega ipſi, Sela. Lipſ. 23. Iul. An
1604.

M. Dauid Buthner, ad ædem D. T
mæ verbi miniſter.

IX.

GRatiam & ſalutem à Deo optimo maximo per Chriſt
etc. Cùm proximas ad Te literas darem, vir reueren
ſecundiſsima mihi pollicebar tempora, quibus de meo
tu alijsq; rebus in poſterum Te facerem certionem. Sed pr
dolor, eiuſmodi ſubſecuta ſunt tempora, quæ non modò v
noſtris aduerſa, ſed etiam omnium piorum commiſeration
deploratione ſunt digniſsima. Ecce enim tibi publicis co
mentarijs præclariſsimè laudata, tot ornamētis Eccleſiæ, ſc
læq; nobilitata, tanto ſplendore ſumtibúsq; magnificentiſs.
tructa tua aut potiùs noſtra, imò ne nunc quidem noſtra A
næberga, repentino incendio in ſumum & cineres abijt. Iac
deſtructa incendio miſerabili, præter priuata ædificia, quor
ſeptingenta aut circiter numerantur, publica quàm plurima
ſunt templa, parochiales & ſcholaſticæ ædes, curia, macellu
monaſterium, Xenodochium, & quis ſingula referat? In
publica clade de re mea libraria non quidem decimas, quæ a
quin religioni debentur, ſed quod grauius eſt, penè dimidi
partem, præſertim de manuſcriptis, nolens volens Vulca
nonnullam etiam Lauernæ cedere coactus ſum. Nam ab
uenis furibus, qui ex vicinia circumquaque in vrbem confl
bant, non minus apud nos fuit periculi, quàm à flammis, q
omnia vicatim depopulabantur.

Acc

Accidit incendium illud 27. die Aprilis, qui ob id ciuibus, tanquam vrbi huic fatalis, nigro notari calculo debet. Nam hoc ipſo die circiter pomerid. horam 2. mirus ac prodigioſus ignis ex VVolckenſteiniana platea progreſſus, vrbem totam inuaſit. Excitatus hic perhibetur in ædibus fabri automatarij, cuius vxor, peregre abſente marito, cibos apparatura ad focum, negligentius ignem ſtruxerat, quem, confeſtim correpto nutrimento inualeſcentem, ipſa periculi metu conterrita, cùm extinguere ſola non poſſet, detrectatis vicinorum auxilijs, ignem clàm occultare atque opprimere conata eſt. Verùm imprudens hic conatus euentum habuit infeliciſsimum. Quò enim magis occultabatur ignis, eò maiores acquirebat vires, adeò vt etiam interiora penetralia perrumpens, opinione celeriùs totam occupauerit domum. Qua de cauſa ædibus profugere coacti domeſtici, ignorantibus vicinis, quid rerum gereretur, nimis ſerò incendium prodiderunt. Nec enim priùs à vicinis conſpectus eſt ignis, quàm flamma culmen domus perruperat. Ad hæc malorum principia aliud etiam acceſsit, videlicet excubitoris in turri flagitioſa in obeundo munere ſuo negligentia. Nam is neque ære campano ſignum dabat, (quemadmodum aliâs in eiuſmodi repentinis incendijs fieri ſolet) neque alio indicio exortum ignem ciuibus ſignificabat, quippe ſomno indulgens meridiano altùm ſtertebat. Quæ res omnium malorum princeps cauſa fuit: quia neque vicini propter ſubitam conſternationem flammas extinguebãt, neque remotioribus in plateis habitantes vllo indicio de præſente periculo admonebantur. Solius in hac calamitate laudabilis erat vigilantia & induſtria ſenatus, qui accepto incendij nuncio, frequentibus in curia campanæ pulſationibus ciues ad extinguendum incendium excitauit. Dato igitur hoc ſigno, dum ex omnibus vrbis angulis ciues conuolant, aquam, vaſa, harpas, perticas, ſcalas, & ſimilia inſtrumenta conuehunt, flamma violentior, non

modò vicinas quasque ædes repentè corripuit, ſed & vi & pernicitate ſumma, propinquam portam, qua VVolckenſteinam itur, vrbisq́ mœnia egreſſa, Xenodochium cum adiacentibus ædificijs in ſuburbio incendit. Ea clades mox aliam ſecum traxit, quæ non multò leuior videtur. Flamma enim portam occupans, tam oppidanis quàm ſuburbanis ingreſſum egreſsúmq́ quodammodo intercludebat. Sparſus eſt eodem tempore ad portam rumor, incendiarios nonnullos in ſuburbio latitare, qui in diuerſas oppidi partes nitroſo puluere, pice, ſtuppa, pyrióq́ opere iniecto, flammis tam immaniter graſſantibus pabulum ſuppeditarent. Is rumor non minùs atque ipſa flamma tantum ciuibus terrorem incuſsit, vt relictis omnibus, quicunque poſſet, ad conuaſandam colligendámq́ ſupellectilem ſuam aliásq́ res precioſas animum intenderet. Præter hoc malum ad fugam plerosque compellebat intolerabilis graſſantis flammæ æſtus, quo etiam procul aſtantium inſpectantiúmq́ corpora lædebantur. Hac igitur neceſsitate concluſis afflictisq́ ciuibus, cum nemo iam ſupereſſet, qui ad ignem reſtinguendum manum admoueret, flamma auctis viribus, incredibilem in modum creuit, æſtúq́ intolerabili maiora circa forum ædificia occupans, longè latéq́ omnia incendere, omnia perdere cœpit, adeò, vt in ſubita omnium conſternatione, nec aduenæ in vrbem ex vicinis oppidulis pagisq́ cateruatim confluentes, opitulari auderent ijs, qui maximè periclitabantur. Et iam monaſterium Minoritarum (niſi fallor) religioni olim ſacrum, curiam, monetariam officinam, cæteráq́ ædificia ſplendidiora Vulcanus deuaſtarat. Solus adhuc ſupererat editior vrbis locus, in quo ſitum eſt D. Annæ templum, quod propter ædificij ſplendidam magnificámq́ ſtructuram per omn m ferè Germaniam famâ celebratur. Ad illud vbi flamma iamiam contenderat, tum demum ciues recollectis an mis, tanquam pro focis arisq́ contra communem hoſtem patriæ, præliaturi, turmatim magno cla-

more

more concurrerunt, dirutiſq; vicinis ædibus & ingenti aquarum vi profuſa, incendio, ne latiùs graſſaretur, obiecerunt repagulum. Ita ad templum, ceſſantibus ferè per ſesquihoram flammis, in ipſo diei crepuſculo, optima ſpes erat, periculum iam ad ſummum perueniſſe, & reſiduam vrbis partem circa Bohemicam portam & vicinum tractum, qui ducentas plus minus ædes ambitu ſuo complectebatur, ſaluam & incolumem permanſuram.

Sed ecce nouo incremento ex incenſis priorum ædium ruderibus vento aduerſo ſuſcitata flamma erumpit, vlteriora loca pererrat, & magno ſtrepitu, magnâq; violentia vires ſuas in vicinas fabricas experitur, præſertim in culmen templi, cuius cupreum tectum, lignea intrinſecus materie combuſta, in præcipitium traxit, atque idem caſus turrim iam antè cladibus afflictam æreo tecto, horologio, excubitoris cœnaculo, æramento campano ſpoliauit, relictis tantùm exterioribus muris, quos propter interioris flammæ vim ciues tandem deſerere coacti ſunt.

Inde accidit, vt ingruente nocte, etiam domus cæteræ, quas reliquas ex illa clade manſuras ciues ſperauerant, incendio perierint. Quid multis? Cladem, quam hoc incendio Annæberga accepit, nemo facilè ſcripſerit. Perierunt ædificia tam priuata quàm publica, videlicet Templa, Parochiales Scholaſticæq; ædes, curia, Monetaria officina, Armamentarium, Monaſterium, Hippotrophéum Senatus, Tabernæ mercatorum, Polentariæ officinæ, Xenodochium cum contiguo templo, villæ, Horrea, & quicquid in bene conſtituta Republ. laude aut precio aliquo dignum æſtimari poteſt. Nam de hoc toto miſerabili vrbis cadauere non plures quàm

qua-

Google

quatuordecim ædes remanſerunt, quæ caſularum potiùs, propter ſtructuræ vilitatem, quàm ædium, ſi cum exuſtis cæteris conferantur, ſpeciem repræſentant. Ex hominibus in tanto periculo non plures quàm quinque deſiderati ſunt. Inter hos fuerunt honeſtis parentibus nati, Ioannes & Blandina, Ioannis Bineri, Annæbergenſis olim Senatoris, filius & filia, quorum ille morbo maniaco permultos annos æger vinculisq; conſtrictus decubuerat: hæc verò ſedula fratris ægrotantis curatrix erat. Vterque autem, cùm nec frater ſororem, nec ſoror fratrem in extremo vitæ periculo deſerere vellet, flammis circumuenti, mutuis in amplexibus, ſingulari fraternæ charitatis exemplo relicto, inter flammas Deo animas commendarunt. Ambuſta cadauera poſtridie ex parietinis collapſarum ædium in Diuæ Annæ templum ſunt deportata, ac tandem 13. Maij ibidem terræ mandata.

Ignoſce prolixitati harum literarum, quæ certè inter exarandum, opinione celeriùs, in hanc, quam vides, verborum multitudinem excreuerunt. Te vir reuerende, amanter rogo, vt me tuis ad Deum precibus, piáq; ad homines literatos commendatione, præſertim in hac publica noſtra calamitate, adiuues. Ego viciſsim pro te tuisq; omnibus mea cùm ad Deum vota, tùm humanitatis debita tibi officia, quantum Deus ipſe permiſerit, pro facultatibus meis libentiſsimè præſtabo. Bene vale. Dab. Bucholzi, 21. Maij anno 1604.

M. Melchior Leanus, verbi diuini miniſter.

Sal-

Digitized by Google

X.

SAl. plur. Doleo, vir amiciſsime, occaſionem me viſendi, tibi à nuptijs filij Dreſdam redeunti præreptam eſſe. Tuus enim congreſſus mihi & gratus & iucundus fuiſſet, εἰς ὄμματα γὰρ ἐσθλοῦ ἀνδρὸς εἰσβλέπειν γλυκύ. Te cum tuis commoda valetudine vti gaudeo. Deum, qui longitudo eſt dierum noſtrorum & φιλόψυχος, diuturnum tibi vt ſit, συνεχές τε καὶ ἀδιάλειπτον precor & opto. Meum eſt ſingulis momentis ad mortem, quæ in foribus expectat, paratum me ſiſtere. Annum enim nunc ago vndeſeptuageſimum. Deſiderium meum eſt εἰς τὸ ἀναλῦσαι & cum Chriſto eſſe. Certus enim ſum, meam mihi mortem fore natalem vitæ æternæ καὶ φαρμακευτικὴν κάθαρσιν τοῦ σώματος καὶ τῆς ψυχῆς. Nunc Annæbergam tuam redire, quia ſic vis, ad te iuſsi. Maxima cum voluptate in ea hæſi, eamque peruolitaui ſæpiuſcule. Dignus profecto tuus labor, in quo nihil prorſus prætermiſſum eſt, Annæberga, id eſt, ciuium & incolarum omnium gratia tanta, quantam animis concipere poſſunt maximam, non tantùm agendo, ſed potius referendo. Quod ſi patriæ parem gratiam refert nemo, etiamſi vitam impendat, certè tibi debetur quoque immortalis, qui facis, vt patriæ, flammis proh dolor conſumtæ & penè emortuæ non intermoritura tamen memoria apud plurimos vigeat, & viciſsim magna nominis tui fama poſteris commendetur. Mei autem quoque mentionem cùm facias in deſcriptione pàtriæ noſtræ, curabo, quantum animo conniti, quantumque labore contendere potero, vt & ego tibi gratus ſim, & vt dignè quoque patria, piè honeſtéque degendo, viuam, atque Chriſto duce moriar. γηράσκω γὰρ ἐν κακότητι ἐνεργητικῇ τε καὶ παθητικῇ. Interea tecum, vt antea ſemper, colam φιλαδελφίαν καὶ ὁμόνοιαν. Vale cum tuis, & feſtinationi ignoſce. Torgæ, Idib. Auguſti, anno 1604.

Tobias Beuther, Annæbergenſis. Eccleſiæ Torg. Paſtor Superint.

 Sal,

SAl. plur. Multum, vir amiciſsime, parentibus debemus, multum amicis, multum patriæ. Hæc enim antiquior quædam parens, plurima in nos officia (ſi quid Tullio credimus) confert, ac proinde naturæ quadam lege nos ſibi obſtringit validiùs. Rectè in 1. Odyſ. Vlyſſes: ὄυτι ἐγώγε ἧς γαίης δύναμαι γλυκερώτερον ἄλλο ἴδεσθαι: Dulcius haud patria terra quid cernere poſſum. Nemo itaque nobis (vt ſpero) vitio vertet, ſi maiore paulò & prægnantiore, quàm plebeij, in eius charitatem affectu trahamur. Noſter N. in hoc pietatis curſu primus videtur. Nos non pudeat in ſecundis ac tertijs conſiſtere. Oſtendamus hoc, quæſo, liquidius, & cognitum reddamus alijs, partim in teſtimonium, partim in exemplum. Atque, vt opinor, initium iam factum eſt. Nam epiſtolas colligi abs te audio cum Threnodijs, quas in patriæ ruinam quidam decantarunt. Fac oro, vt typis euulgentur, inprimiſque luculenta illa vrbis deſcriptio, quam, cùm ſcholæ patriæ laudabiliter præeſſes, anno, ni fallor, ab hinc XIIII. texuiſti. Mirantur multi, tam amplam ciuitatem flammis totam abſorberi tam citò potuiſſe. Mirantur tam effusè iræ ſuæ habenas laxaſſe irritatum ſupremum numen. *Verè, verè Deus abſconditus eſt*, cuius iudicia peruestigari non poſſunt. Huic rem committamus humilimis precibus, nihil dubitantes, facturum ipſum, vt ciuitas collapſa refloreſcat, ac priſtinum decus ſuis conſequatur temporibus. Interim illud nos recreet, quòd ſcimus, *minora eſſe ipſa hæc ſupplicia peccatis noſtris, & flagella Domini, quibus quaſi ſerui corripimur, ad emendationem & non ad perditionem noſtram euenire* (*Iud. 8.*) *Vulnerat Deus & medetur: percutit & manus eius ſanabunt* (*Hiob. 5.*) *Non dabit in perpetuum fluctuationem juſto* (Pſal. 55.) Vale. XV. Calend. Septemb. anno 1604.

M. Georgius Nucelius Annabergenſis, Schlaccovvaldæ in Bohemia Paſtor.

Sal.

XII.

SAl. pl. Mitto, vir reuerende ac humaniſsime, carmen, non quidem quale transmittere volui, aut tu à me ſperaſti: ſed quale in ſummâ feſtinatione, maximâq; rerum mearum perturbatione conſcribere potui. Communis enim Annæbergæ calamitas, omnium lacrumis maior, ita res ac fortunas adflixit meas, vt non in poſtremo infelicitatis loco ſim conſtitutus. Supellex, quam habui ſatis lautam, veſtes, penus omnis, multa item, quæ paternâ & auitâ hæreditate ad me & vxorem meam peruenerant, incendio interierunt. Perijt medulla bibliothecæ meæ, quam pro meâ mediocritate habui ſic ſatis inſtructam: perierunt omnia, quæ in Academiâ, multo labore, multisq; vigilijs â præceptoribus tam publicis, quàm priuatis, mea manu conſignaram, commentaria: perierunt operæ priuatæ, carmina, diſputationes, declamationes: perierunt, quas theſauri loco habebam, amicorum & virorum doctorum ad me literæ; Ipſa quoque Laurus Poetica, quâ me annis ſuperioribus Iohannes Georgius Godelmanus ornabat, ignis vim effugere non potuit. Mirum igitur non eſt, in ſummo dolore, tantâq; rerum mearum πανολεθρία, verſus quoque eſſe tenuiores ac rudiores. Eos tamen vt bóni conſulas, amanter & officiosè peto. Si etiam moram res patitur, & vna ſaltem atque altera litera fuero admonitus, dabo operam, vt carmen quoddam elaboratius à me primâ occaſione habeas.

Interim bene vale, & in laudem Patriæ tuæ non incendij ſaltem hiſtoriam, ſed ab ipſis incunabulis vrbis incepta in lucem ede chronica. Dici non poteſt, quanto deſiderio omnes boni laborem hunc tuum exſpectent. Sed verboſior fui, quàm par erat. Iterum igitur vale, & me tuis precibus tuóq; patrocinio commendatum habe. Dabantur in hoſpitio meo Bucholdino, die 18. Menſ. Auguſt.

M. Samuel Papa, Metallicorum Annæberg. Concionator.

XIII.

M. DANIELI HENICHIO, PASTORI & Superintendenti Annæbergenſi, v. cl.

SAl. Literis, quas ex VVerda Epiſcopali Lyttichius ad me miſit, reuerende vir, alteræ inſertæ erant, ad Te quæ ſpectabant. Eas nunc mitto, certa ſpe ductus, non ingratum fore tenue hoc officiolum. Statum patriæ adflictum ac propè deperditum, vt primum cognoui, (cognoui autem die 28 Aprilis) ruinam ipſius & cladem miſerabilem acerbè deploraui, nec ipſe ſolùm, ſed vnà mecum plurimi, quibus & vrbis ſplendor, & ciuium integritas perſpecta eſt, cum vera pietate & humanitate coniuncta. O duram incolarum ſortem & omni fletu ſuperiorem. Circumſonare aures videntur parentum querelæ, ciuium clamor, mulierum eiulatus, paruulorum lamenta. Tantam in Electoratu Saxonico cladem, inde vsque ab hominum, qui nunc viuunt, memoria, ciuitati illatam non puto: vtinam nulli vnquam inferatur. Satis, proh dolor, imò nimium eſt, Annæbergam flammis concidiſſe. Veruntamen vtcunque colligo me, & in ſpem certam erigor, futurum breui, vt inſtauretur. Vnum hoc ſi videre Dominus conceſſerit, alacris è vita decedam. De Bartolemæo fratre, quid fiat, ſatin rectè valeat, ecquam rei familiaris iacturã in communi illâ ruinâ fecerit, numquid ſeruatum ipſi aliisq; ſit, neſcius ſum. Literas expecto, quæ de hiſce omnibus, vt & incendij totius modo & ratione me edoceant. Vale, 7. Maij, Dreſdæ.

M. Paulus Ieniſius, Aulæ Sax. Concionator.

Dn.

XIV.

Dn. ADAMO HERMANNO, ECCLEſiæ Coldic. Paſtori Superint. V. clar.

SAl pl. Fuit, vir reuerende, Annæberga, fuit patria, fuit Reſpub. Vnum hoc dum ſcribo, omnia me ſcripſiſſe putes. Breue eſt, quod ſcripſiſti, inquis. Ego nimis prolixũ arbitror: Quòd ſi plus ſcire deſideras, vnum hoc habe: cecidit Annæberga, cecidit, idq́ præcipiti quodam fato. Vnius dieculæ infortunium (ô atrum & funeſtum diem 27. Aprilis) & nitorem, & florem, & decus & gloriam præclaræ ciuitatis omnem abſtulit. Quid abſtuliſſe dico? imò euertit, proſtrauit, deſtruxit, abſorpſit, extinxit, perdidit. In Annæbergo Annæbergum quæritur. Quæritur, inquam, at non reperitur. Neque enim uſpiam nunc eſt Annæbergum, deſiit eſſe. Num futurum aliquando ſit, vt iterum aliquid eſſe incipiat, Deo exploratum, humanis certè auxilijs parum eſt loci. Vale, &, quod facis, patriam ad extremos miſeriarum ſcopulos adactam precibus commendatam habe. Ego illius cauſa nocte diéq́ crucior, inprimisq́ cùm ad acerbiſsimum hoc infortunium ἀστοργία accedat eorũ, qui res venales, inprimisq́ ligna, tegulas, cæmentum & alia iniquiſsimo precio diuendunt, adeòq́ ciues miſeros deglubunt & penitus exhauriunt, fruſtra eos per verbum monente ac perterrente Dei ſpiritu: id quod hocce tempore, quo charitas in ſolidum refrixit, locis omnibus vſu venire cernimus. Deus miſereatur, & è fauillis excitet hoc, quod occulto ipſius iudicio in fumum ac cineres abijt. Locum enim forſan & hîc habet illud Vlyſſeum, quod de Troiæ excidio apud Euripidem legitur: θεῶ τὸ πρᾶγμα, οὐδέν αἰτιῶ βροτῶν. Dreſdæ 25. Maij.

M. Paulus Ieniſius Annæbergenſis.

XV.

ANDREÆ BECKMANNO, PASTOri Zſcheplinij, Diœceſis Eilenburgenſis.

SAl. ὅπου ἀλγεῖ, ἐκεῖ χεῖρα τὶς ἔχει. Non igitur eſt quòd mireris, in fronte à me poni, quod Tu ad epiſtolæ calcem poſueras. Fuit vir reuerende & docte Annæberga, fuit patria. Vnum id dum ſcribo, compendio me plurima complexum putes. Flamma ex automatarij cuiuſdam fabrica erumpens (fortuitóne incendio, an ab improbis ſuſcitato, incertum eſt) attigua ædificia, cum horrore omnium, mox corripuit, ac maiori, quàm credi poteſt, velocitate, ad dextram læuámq; ædes plurimas, tàm publicas quàm priuatas, intra extráq; oppidum abſumſit, irritam reddendo ac eludendo prorſus cùm ſenatus prouidi curam, tùm ciuium accolarúmq;, qui è vicinis oppidis, ac villis ingenti numero aduolarunt, ſolertiam, nimia ſui ſæuitia & rapiditate. Inde in multam noctem, peruadente ad quaſuis partes vrbis, flammâ, incendium durauit, quoad tandem albeſcente iam die in ſeipſo extinctum eſt. Iacet curia cum armamentario, prætorio, horaria machina eximij operis, tabernis, ac plurimis conclauibus ſpacioſis & elegantiſsimis. Iacet ſplendidum & amplum cœnobium, iacet domus argentaria, frumentaria, polentaria, mercatorum, lanionum, & quidquid denique ædificiorum publicorum fuit, ſolis mœnibus exceptis. Iacet ſcholis habendis deſtinatum ædificium luculentæ & magnitudinis & elegantiæ. Templum B. Virginis exuſtum eſt, vt & illud, quòd extra oppidum ſacerrimæ Trinitati dicatum fuerat. Templum autem illud D. Annæ magnificum & ſumtuoſum, quod ſimile in toto Electoratu non habet, tecto caret, vt & turris. Aeramenta, quorum harmonicus concentus mirificè omnes delectabat, humi iacent confracta; Organon pneumaticon in ci-

ncres

Digitized by Google

neres abijt Reliqua intra templum ſalua & ſarta omnia, nempe altaria, penſile ambulacrum & fornices cum inſculptis Regum, Ducum & prophetarum imaginibus, pulpitum, baptiſterium, adyta duo, chori muſici totidem, ſimulachra, ſubſellia, vaſa, veſtes, rituales libri: Sed & Bibliotheca ſeruata eſt. Omnia ædificia intra vrbem (XIIII ædiculis exceptis,) conſumta, numero circiter 700 aut 800. Ad hanc enim paucitatem ſterilitas Venarum metallicarum ciuitatem redegit, cùm initiò ædibus habitatis conſtaret plus minus 1200. Iacet proſtratum (extra oppidum) Xenodochium cum conclauibus, porticibus ſepulchralibus, polyandrio affabrè picto, Templo & parœcia, quam peculiarem habuit: multa horrea flammis conſumta, cum villis aliisq; ædiculis. Abſumtæ intra oppidum ædes parochiales & quidquid tandem vel vſu commodum fuerat, vel dignitate conſpicuum, vel amœnitate iucundum. Placuit videlicet omnium moderatori ac principi Deo, vrbem, anno à prima fundatione 108 ruere atque intermori. Quæris quid ſpei reliquum ſit? Ad Deum oculos ſi tollamus permultum. Hic vrbem è flammis & cineribus reuocabit, idq; ſereniſsimi Principis Electoris auſpicijs, qui ſe miſerorum querelis clementiſsimè offert. Memini ego multos ſenes in patria eſſe annis abhinc 46 qui pueris nobis referebant, eo in loco quo vrbs poſtea fundata eſt, denſum nemus fuiſſe, nec vel ruſticum tuguriolum ibidem fuiſſe conſpectum. Minimè igitur dubitandum arbitror, Deum, cui facilia & expedita omnia, pro ſua in nos bonitate ciuitatem inſtauraturum. Quod vt eueniat, humilimis votis ipſum precemur. Viros reuerendos & eruditiſſ. Dn. *Chriſtophorum* Braun, Dn. Ionam Eckart, Dn. Thomam *VVurtau*, & fratres cæteros officiosè ſaluto. Vale. 30. Maij, *Dreſdæ*. anno 1604.

M. Paulus Ieniſius.

CASPAR.

CASPARO HOFMANO, Annæbergam.

SAl. plur. & in Chriſto perpetuam precor. Video Caſparè quid in votis iſto tempore tuo ſit, quo & rei domeſticæ difficultas, & ſcholæ ruina, & fatalis patriæ interitus, & amicorum miſeriæ, bonorúmq; gemitus oculis obuerſantur, animóq; cruciatum pariunt. Verùm quid agas? Operam patriæ præſtitiſti, rebus adhuc integris, florente Eccleſia, vigente diſciplina ſcholaſtica, Republica incolumi. Nunc à ſeipſa deſertam, imò ſibi ereptam relinques! Abſit. Quin enitere potius, vt qui collabentem ac emorientem vidiſti, eam reuiuiſcentem è flamma ac cineribus videas. Arduum hoc, inquis? Sic eſt. At reſurget (certò tibi perſuade) ac reuiuiſcet propediem. Anno ab hinc 108 nihil fuit patria: cœpit eſſe. Nunc cùm eſſe deſiit, denuo incipiet, prouehente ἀνάστασιν καὶ ἀγαθῶν πάντων ἀπόλαυσιν eo, qui *vocat ea, quæ non ſunt, vt aliquid ſint, Rom. 4.* Eius igitur admiratorem, non ſpectatorem ſolùm te eſſe cupio. Non procul aberit, cùm & ipſe & alij illud pſalmi in ore habebitis: *cùm liberauerit Dominus captiuos Sion, erimus ſicut ſomniantes. Tunc replebitur riſu os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.* Itémq; illud, quod Pſal. 118 ſcriptum extat: *A Domino factum eſt iſtud, & mirabile eſt in oculis noſtris.* Et rurſus: *Demiſit in os meum canticum nouum, carmen Deo noſtro, Pſal. 40. Conuertiſti luctum meum in tripudium mihi, concidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia, Pſal. 30. Reuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, Pſal. 116.* Mihi ſi Deus conceſſerit vel initia inſtaurationis cernere, lubens moriar, & ad ſuper nam illam ciuitatem, quæ caſus ac mutationis omnis expers eſt, cupidè emigrabo. Quod ſi tamen conſtitutum tibi eſt Annæbergo excedere, rectiſsimè feceris, ſi Paſtori Superint. te aperias, qui pro ſua in te ac ciues beneuolentia, procul dubio re & conſilio præſtò futurus eſt. Vale, 6. Iunij Dreſdæ.

M. Paulus Ieniſius Annæbergenſis.

Digitized by Google

IN ANNÆBERGÆ DEFLAGRATIONEM, THRENODIÆ,

pię συμπαθείας ergò à varijs decantatæ.

I.

Fata regunt populos, vrbes quoque fata gubernant:
Has tollunt, illas rurſus ad ima premunt.
Sic ego, quæ pridem montana Miſnidos inter
Oppida, formoſum ſuſtuli ad aſtra caput,
Nunc flammis diris exuſta, & ſtrata ruinis
Triſtibus, hac iaceo informe cadauer humo.
Qui faciem hanc ſpectas, pia poſt ſuſpiria, votum
Hoc vnum exuuijs (ſi libet) adde meis:
In cinerem vrbs verſa eſt, VRBS PVLCHRIOR inde reſurgat
Sic, quæ INTERNECIO creditur, ortus erit.

AD M. PAVLVM IENISIVM, CVIVS luculenta habetur Annæbergæ deſcriptio, typis nondum euulgata.

Quæ tota in cinerem tenuésq; ſoluta fauillas
ANNAEBERGA, truci flammâ abolente, iacet,
Stat cinere in medio tamen, & (mirum) ignibus hauſta,
IENISII æternùm per monumenta viget.
Hic priſcam ſpectare vrbem, ſpectare vetuſta
Ornamenta, domos, mœnia, templa datur.
Plúsne queas patriæ, Ieniſi, reddere? Debes
Vitam illi, VITAM debet & illa tibi.

M. Ioan. Fridericus, Profeſſor Acad. Lipſ. & eiuſdem pro tempore Rector.

Plures

II.

PLures Vulcani quondam vis perdidit vrbes,
Conſumendo domus, mœnia, templa, ſcholas.
Sed fatum Annaberga tuo vix triſtius vllum eſt,
Vsque adeò peſſum te vaga flamma dedit.
Finitimas vrbes inter tu ſola fuiſti
Clarior, in cineres ſed reſoluta gemis.
Flere tuos poſſum, ſed non ſanare dolores,
Nec largis opibus te releuare queo.
Sed geminare preces, cœlúmq; implere profundum
Votis non ceſſo nocte diéq; meis.
Scilicet effodias vel montes diuitis auri,
Argentúmq; tuas terra dot ante fores.
Tunc veteres poteris facilè inſtaurare penates,
Et munire tuæ ſplendida tecta domus.
Audiat hoc Deus, & placidus mea vota ſecundet,
Ac fatis tribuat proſperiora tuis.

Paulus Laurentius D. Dreſd.
Superintend.

III.

NVper, vbi coràm vidi tua templa domósq;
ANNAEBERGA, tuas, flammis fatalibus imo
Exuſtas fundo: fudi hoc lacrymabile carmen
Ocyus, & lacryma lacrymoſa per ora volutæ:
Heu dolor! ANNAEBERGA! dolor! dolor! ANNAEBERGA!
ANNAEBERGA, ſoli quæ tot celebrata per oras,
Vulcano vaſtata iacet. Quiſnam iſta videndo
Temperet à lacrymis, & luctiſono ſingultu?
Vrbs, modò quæ fuerat multis habitata colonis,
Iam deſerta iacet, cultoribus abſque patritis.

Vrbs,

Digitized by Google

Vrbs, modò quæ ſplendore ſuo tectiſq; ſuperbis
Vincebat reliquas patria Germanidos vrbes,
Iam cinis eſt, & puluis iners, & torris obuſtus.
Vrbs, quæ per centum & ſeptem feliciter annos,
(Namque ſub ALBERTO *demum inclareſcere cœpit)*
Hactenus aſsiduos effudit ad æthera flores,
Nunc inter reliquas nomen propè perdidit vrbes.
Hoc tamen hunc triſtem tacitè ſolabere caſum:
Non in te ſolâ pœna hæc immiſſa recumbit:
Sed, niſi nos noſtram ſtudia in contraria vitam
Flectemus, ſimilis caſus nos opprimet omnes.
Ergo ad te ſupplex palmas vtráſq;, IEHOVA
Omnipotens, extendo precéſq; has pectore fundo:
Parce dehinc, rebúſq; veni non aſper egenis,
Nec noſtra imponas æquato examine lanci
Iuſticiæ cæco commiſſa piàcla furore.
Sis bonus, & facilis lapſis, veniámq; fauorémq;
Indulge, propter liuentis vulnera CHRISTI.
Et noſtris infunde animis ſpirabile Numen,
Vt quiſque in melius ſua poſt exorſa reflectat.
Et quia regna ſoles ex imo euertere fundo,
Ac euerſa iterum ſtruere atque educere cœlo:
Hanc etiam exuſtam repares cum mœnibus vrbem,
Ac reddas fatis felicibus incrementum.
Hoc precor, hoc opto; tu IHOVA *ter optime vultu*
Annue ſidereo, & præſenti Numine votum
Hoc firmes, cœlo rurſum applaudente ſereno.

M. Iohannes Förſterus P. C. Eccleſiæ Ci-
zenſis ad D. Mich. Paſtor.

IV.

S*Ic ergo rapidos Anna Mons iuit in ignes,*
Horis durauit vixq; ea flamma nouem?

Inunc & tenta longos præſumere ſoles:
Spe citiùs damnum nempe venire ſolet.
Hei mihi, non quiſquam potuit te reddere ſaluum,
In te vimq; ſuam perdidit omnis aqua.
Iámq; tui caperet noſtras obliuio mentes,
Nominis & fieret gratia vana tui,
Ni pia ſeruaret ſcriptis te cura Ieniſî:
Eximeris fatis ipſius ingenio.
Ille tuos ortus docet & fundamina terræ,
Quæuè tibi illuxit ſtella benigna polo.
Viſceribus quot opes effoſſæ, qualis imago
Sit templi, quæ ſint mœnia, quiq; viri.
Scilicet eſt aliquid Muſas habuiſſe fauentes,
Hæ faciunt, volites docta per ora virûm.
Contigit hoc paucis, hinc & ſolatia captas:
Di faciant, ſuperes hæc mala mille modis.

M. Iohan. Sucuſus Annæmont.
Iur. Licentiatus.

V.

Poſſe aliquid fieri, quod non fuit; atque deinde
Quæ ſunt, in nihilum collutulata trahi,
Edocet in Myſiis Mons Annæ montibus, olim
Vrbs, quæ nunc facta eſt, igne cremata, nihil.
Nec docet hæc ſolùm: mirabiliora docebit,
Scilicet & damnum reddere poſſe lucrum.
Nam velut, aurifabri quod purgat dextra camino
Igniuomo, argentum purius inde redit;
Ac licet Aſſyrius ſe flammis concremet ales,
Se tamen è flammis mox noua tollit auis:

Lignea,

Lignea, ſic noua quò fieri atque argentea poſſit,
Hac purgamentum eſt vrbs quoque paſſa ſuum.
Fructum etiam capiet, mirari vt tempore iuſto
Poſteritas poſſit poſteritatis opus.
Et bene IENISIVS ciuis bonus incipit, ille
Redderet vt patriæ, patria quod dederat.
Iam patriæ è medijs reparat noua fata fauillis,
Lapsáq; ſollicitis ædificat precibus.
Orphea mirata eſt ita quem ſua patria quondam,
Nunc Amphioniam ſentit & eius opem.
Seruatorem igitur ſi ciuis, rectiùs vrbis
Ciuica ſerta decent, ciuica ſerta decent.

Iohannes Seuſsius.

VI.

SIc igitur totas ira laxauit habenas,
Cui ſolenne ſuis eſt facilem eſſe Deus?
Vt tua præcipiti committeret omnia flammæ,
Ipſi quæ fuerant manſio grata diu,
Annaberga, inter vicinas nobilis vrbes
Quondam, vrbis vix nunc vmbra vocanda mihi.
Audijt (haud etenim dubium hoc) lamenta, querelas,
Vagitus, gemitus, anxia vota, preces:
Quæ tulit infantum, matrum, iuuenúmq;, ſenúmq;
Grex, patriæ ſpectans fata ſuprema ſua.
Sed viſus ſurda eſt hæc aure audiſſe, repulſam
Viſa importunè turba relicta pati.
Et nunc conniuente ipſo, diſcrimine nullo,
En data ſunt vni cuncta cremanda rogo.
Tectum templi ingens, auguſtáq; curia, & olim
Dicta cucculligeris atria ſacra viris.

Inſignis ludus, languentúmq́ hoſpita tecta,
Atque miniſterio digna habitacla ſacro.
Structúraq́ aliæ, quæ procurante ſenatu
Vtiliter varijs enituere locis.
Aedes vt taceam priuas, quæ mœnibus amplis
Incluſæ ornatum paſſim habuere ſuum.
Omnia flamma vorax cinere obruit, omnia prorſum
Strata jacent, vnum facta cadauer, humi.
Attonitus ſtupet hîc animus, dum judicis arcto
Limite molitur claudere facta DEI.
Iniuſtus tamen eſſe nequit Deus, arbiter aui,
Illius & bonitas inuariata manet,
Quantumuis ratio conſulta admurmuret, atque
Crudelem ſatagat ſtulta vocare Deum.
Quantum etenim à nobis remouentur ſydera, tantum
Noſtræ à diuinis mentis acumen abeſt.
Nam Deus vt ſanet vulnus facit, & dare letho
Adſolet, vt rurſum viuificare queat.
Supplicio interdum paucorum, quid meriti omnes,
Maturè vt poſſint pœnituiſſe, docet.
Nec quicquam nobis adimit, quod non dedit antè,
Inque ſuis, ipſi quæ placuere, facit.
Hæc reputans, Annaberga quem fata fatigant,
Aequiùs indubiè damna dolenda feret.
Inſtaurare Deo facile eſt cinerem atque ruinas
Vrbis, quam ſtatuit, cùm foret ipſa nihil.
Illius argenti ſunt venæ auriq́ feraces,
Quas iterum clauſas ille aperire poteſt.
Multorum occulto flectet dictamine mentes,
Sollicita quorum reſtituatur ope
Vrbs exuſta: Bonus placato mœnia vultu
Reſpiciet, viſus quæ repuliſſe fuit.

Macti ergo ô cineres patriæ, noua robora ſume
Annaberga, malum & vince ferendo trum.

M. Dauid Heiluuagen Annæberg. Paſtor Ortrantius.

VII.

SI triſte viſu Patribus accidit
Capta Sionis, poſt reditum, pÿs,
Templum recenter reſtitutum, vt
Voce nimis querulâ eiularent:
Nam quod cremarat Rex Babylonius,
Tanti nitoris, ſat memores adhuc,
Norant, vt hoc modò nouatum
Aediculam nihili æſtimarent.
At triſtiores Tu gemitus paris,
O Ciuitatum haud vltima gentibus,
Gaudent tuis quicunq; gazis,
In cineres penitus redacta.
Nunc eiulatus & lacrymas Dea,
Si non periſſet, funderet affatim,
Educta quondam de fodinis,
Mœnia quæ peperit domósq;.
Si te viderent, primus in ordine
Foſſor, Magiſter, Scriba metallicus,
Diſcretor & Lotor, probè & qui
E ſcorÿs ſtuduit coquendo:
Surſum leuatis æthera dexteris
Cuncti, ſonantes hei, quaterent, licèt
Fruſtra, genas nec non perenni
Pollucrent madidas liquore.

Si te

Digitized by Google

Si te PARENTIS conſpicerent mei
Exoſculandi lumina, cui ſolum
Natale quondam TV fuiſti,
In lacrymas mòdò cogerentur.
Ambeſa ſi nunc mœnia cernerent,
Planúmq; & atros ignibus vndique
Torres, AVVS, charaq; MATRIS
NVTRITIVS ſimul & Monetæ
Præſul; rigatis oribus anxij,
Sedis paternæ tam miſerabilem
Deflere cladem non valerent,
Canicie niſi vellicatâ.
Quin & propinquâ in Valle MATHESIVS,
Candore præſtans, flebilibus modis,
Si viueret, flammis SAREPTAM
In cineres quereretur ipſe. (*hanc*
Nunc ſceptra, Faſces, Templa ſacra & Schola,
Vrbes & Aedes, Ruráq; cum ſuis
Cultoribus, tecum grauésq; &
Inſolitos miſerantur æſtus.
Sic ipſe, ducens ex Patre ſanguinem,
Qui natus vlnis hæſit & in Tuis,
Vt Ciuis, ANNEBERGA, Ciues
Exanimos queror hoc dolore.
O Anna, Mons, quem Mulciber abſtulit,
Cui præſidebas, ceu DEA, tempore
Priſco; Anne Mons eſt appetendus,
Trinacriæ an magis eſt vorago?
Sed militandum eſt ſub cruce fortiter.
Non à labore aut à precibus pijs,
Terrore plagarum, abſtinendum:
Dat veniam DEVS atque pacem.

Cali

Cæli hic ſupremus RECTOR & ARBITER
Rerum benignus, viuit & aſpicit
Quæcunq; in hoc tractantur Orbe,
Seu bona ſint, vitioſa ſiue.
Permiſit Idem Militibus, ſacra
Flammâ Sionis perdere mœnia:
Vindex opes Idem potenter
Abramidis reparauit omnes.
Quin & prioris gloria, dignitásq;
Excelſa templi cum fuerit; tamen
Effecit hic, vt dignitate
Poſterius veteri praíret.
Non dirigatis lumina frigidos
Turbata, CIVES, *in cineres:* DEI
Nutu ſciatis eſſe factum,
Quod dedit haud leue flamma damnum.
Hic, cùm ſit almâ cunctipotens manu,
Maiora vobis reſtituet; DEVS
Cæli, Fretiq;, & quicquid ingens
Terra fouet gremio recluſum.
Pandet tumenteis ære bono venas:
Vrgebit, æs qui vectibus extrahunt:
Fundentibus maßas frequenteis
Ocia nulla viris faceſſet.
Sic veſtra ſurgent Mœnia; Sic Domos
Nullo labore exædificabitis:
Vrbem velut primam ex fodinis
Diuitibus liquet eſſe natam.
Vt cuncta vobis largiter affluant,
Annæ NEPOTEM *ſupplicibus* DEVM
Votis adoro, qui petitis
Plura dabit, dare vult, deditq;.

M. Dominicus Eber Dreſd. Eccleſ. Briſnicenſis Paſt.

Digitized by Google

VIII.

HEu quoties patriæ mœſtiſsima funera charæ
Vix conſolandus pectore voluo meo,
Mens abit in luctus, lacrymis & vultus obortis
Nocte diéq; ſolet nil niſi triſte queri.
Quis Deus hanc vrbi, dicens, quæúe vltio cladem
Intulit? heu patriæ fata ſeuera meæ.
Quæ priùs electo ſtabat pulcerrima cultu,
Gemma velut venis orta, Pelore, tuis.
Nunc exuſta jacet propero triſtiſsima caſu,
Vicinis nimiùm triſtis imago ſuis.
Vno quæ fuerat celebris tam condita ſeclo,
In cinerem eſt horis tota redacta nouem.
Curia vah periјt, læſum eſt venerabile Templum,
Splendidius quo non Miſnia tota tenet.
Addo ſcholam veræ nidum pietatis & artis,
Et tot ſtructuris tecta ſuperba ſuis.
Hæc quoties agito, toties tum mente reuoluo
Fortunæ inſtabiles, quæ regit iſta, vices.
Et qui fortunæ, cunctis dominatur & aſtris
Iuſticiam atque iræ fulmina tanta probo.
Nil juuat hîc longè varias exquirere cauſas,
In nobis ipſis proxima cauſa latet.
Hæc Dominum meritas ſupremum accendit ad iras,
Is noſtras juſto perdidit igne domos.
Nil igitur reſtat, tacita niſi mente fateri,
Impietas tanti cauſa furoris erat.
Iudicium ecce, tuum, Deus eſt mitiſsime rectum,
Rectáq; juſticiæ regula tota tuæ.
Vre, ſeca, puni quauis ratione, perenni
Tu modò ne pœna nos cruciando premas.

Dile-

Digitized by Google

Interea pie, juſte Deus, ſolatia noſtris
De bonitate tua mentibus adde precor.
Erige proſtratos, & robora ſuffice læſis:
A nutu pendet vis ea tota tuo.
Collige diſperſos, rediuiuáq; templa ſcholásq;
Aedifica, nomen propter opúsq; tuum.
Et patriæ cineres, & triſtia buſta peruſtæ
Vrbis in alterius vertito quæſo decus.
Tunc tibi cantemus meritæ præconia laudis,
Hic & in æternos perpetuanda dies.

M. Ambroſius Bardenſtein Annæberg: Scholæ Lips. ad D. Thomæ Moderator.

IX.

MAgna petis, magnum renouans, vir clare dolorem,
Dum cineres Patriæ me quoque flere jubes.
Flere pium eſt, lacrumásq; mouet triſtiſsima clades:
Sed fletum verſu condere, maius opus,
Quàm quod ab exiguo ſperetur acumine & vſu:
Exſuperat vires dira ruina meas.
Vrbs quid noſtra etenim? miſerum niſi funus & vmbra,
Si tamen hæc dici funus & vmbra poteſt.
Nam corpus perijt totum: vigor omnis, & omne
Lumen abeſt: vrbis flosq; decúsq; ruit.
Templa, domos, hortos, loca ſacra profanáq; cuncta,
Magnificásq; hauſit flammeus ardor opes.
Grex pius Aonidum, ſtudijsq; operata juuentus,
Doctrinæ & proceres, vrbe jacente, jacent.
Vix tutò plebs multa ſacras accedit ad ædes:
Ne vitium faciant concaua ſaxa, timet.

VIII.

HEu quoties patriæ mœſtiſſima funera charæ
Vix conſolandus pectore voluo meo,
Mens abit in luctus, lacrymis & vultus obortis
Nocte dieq́; ſolet nil niſi triſte queri.
Quis Deus hanc vrbi, dicens, quaúe vltio cladem
Intulit? heu patriæ fata ſeuera meæ.
Quæ priùs electo ſtabat pulcerrima cultu,
Gemma velut venis orta, Pelore, tuis.
Nunc exuſta jacet propero triſtiſſima caſu,
Vicinis nimiùm triſtis imago ſuis.
Vno quæ fuerat celebris tam condita ſeclo,
In cinerem eſt horis tota redacta nouem.
Curia vah periÿt, læſum eſt venerabile Templum,
Splendidius quo non Miſnia tota tenet.
Addo ſcholam veræ nidum pietatis & artis,
Et tot ſtructuris tecta ſuperba ſuis.
Hæc quoties agito, toties tum mente reuoluo
Fortunæ inſtabiles, quæ regit iſta, vices.
Et qui fortunæ, cunctis dominatur & aſtris
Iuſticiam atque iræ fulmina tanta probo.
Nil juuat hîc longè varias exquirere cauſas,
In nobis ipſis proxima cauſa latet.
Hæc Dominum meritas ſupremum accendit ad iras,
Is noſtras juſto perdidit igne domos.
Nil igitur reſtat, tacita niſi mente fateri,
Impietas tanti cauſa furoris erat.
Iudicium ecce, tuum, Deus eſt mitiſſime rectum,
Rectáq́; juſticiæ regula tota tuæ.
Vre, ſeca, puni quauis ratione, perenni
Tu modò ne pœna nos cruciando premas.

Inte-

Digitized by Google

Interea pie, juſte Deus, ſolatia noſtris
De bonitate tua mentibus adde precor.
Erige proſtratos, & robora ſuffice læſis:
A nutu pendet vis ea tota tuo.
Collige diſperſos, rediuiuáq; templa ſcholásq;
Aedifica, nomen propter opúsq; tuum.
Et patriæ cineres, & triſtia buſta peruſtæ
Vrbis in alterius vertito quæſo decus.
Tunc tibi cantemus merita præconia laudis,
Hic & in æternos perpetuanda dies.

M. Ambroſius Bardenſtein Annæberg. Scholæ
Lipſ. ad D. Thomæ Moderator.

IX.

MAgna petis, magnum renouans, vir clare dolorem,
Dum cineres Patriæ me quoque flere jubes.
Flere pium eſt, lacrumásq; mouet triſtiſſima clades:
Sed fletum verſu condere, maius opus,
Quàm quod ab exiguo ſperetur acumine & vſu:
Exſuperat vires dira ruina meas.
Vrbs quid noſtra etenim? miſerum niſi funus & vmbra,
Si tamen hæc dici funus & vmbra poteſt.
Nam corpus perijt totum: vigor omnis, & omne
Lumen abeſt: vrbis flosq; decúsq; ruit.
Templa, domos, hortos, loca ſacra profanáq; cuncta,
Magnificásq; hauſit flammeus ardor opes.
Grex pius Aonidum, ſtudijsq; operata juuentus,
Doctrinæ & proceres, vrbe jacente, jacent.
Vix tutò plebs multa ſacras accedit ad ædes:
Ne vitium faciant concaua ſaxa, timet.

Digitized by Google

Diues inópsq́ ſimul, velut exſul oberrat: & vrbem
Antiquam in media quærimus vrbe vagi.
Hæc ſunt perpetui fomenta infanda doloris:
Hoc quoque me grauiter tangit & angit onus,
Magnum onus, & noſtris longè conatibus impar,
Quódq́ Maronæo vix pede Muſa canat.
Ergo, vir excellens, non eſt quòd carmina poſcas:
Ferre humeri nequeunt pondera tanta mei.
Diuitis ingenij eſt, lacrumas ſuperantia noſtras
Funera carminibus reddere viua ſuis.
Non ea nunc mihi vis, qui, longo angore pereſus,
In multa vitam vix traho triſticia.
Sed tu, PAVLE, decus Muſarum grande, ruenti
Quando Vrbi voluit te ſupereſſe DEVS,
Triſte miniſterium cineri perſolue dolendo,
Exuſtæ texens hiſtoriam patriæ.
Hoc DEVS, hoc pietas, hoc te iubet ardor honeſti,
Natali hoc debes, vir reuerende, ſolo.
Sic quam flamma ferox, diuino accenſa furore,
In fumum, & cineres, nudáq́ ſaxa dedit,
Hanc vrbem calamo potes inſtaurare, libellis
Poſt obitum vt viuat nobilitata tuis.
Sic nomen laudésq́ tibi ſine fine manebunt,
Aſſertor patrij, fomáq́ clara ſoli.

M. Samuel Papa, Metallicorum Annæbergenſium Concionator.

X.

Scire cupis, quæ ſim? Quæ ſim, cupis? accipe, triſtis
Quid tibi reſponſi, LECTOR amice, feram.

Sum

Digitized by Google

Sum Myſijs Regina jugis, VRBS ANNA, Pelori
Accola, Boiema gentis amica ſoror.
Olim ego talis eram, Talis quoque ſemper habebor,
Sit licèt haud eadem ſors maneatq́ mihi.
Sed qualis videar, non eſt mihi cura: videri
Sæpe bonum eſt, praſtat ſed tamen eſſe bonum.
Nil moror ergo aſpra ſortis tentamina, quamuis
Illa ferat membris vulnera multa meis.
Hæc noſtris (fateor) primum intulit adibus ignem;
Perdidit hæc miſeram me, mea regna, lares.
Nulla tori, pars nulla chori, pars nulla forîq́
Mulciberis potuit vim ſuperare trucis.
Dum votis ſpero, fatis expiro: tot angor
Cladibus, Herculeas quot tulit Hydra faces:
Quot cælum ſtellas, marmor quot voluit arenas,
Quot meus, are grauis, ſaxa Pelorus habet.
Ergóne deſperem? Minimè. Spes credula vitam
Seruat, & è flammis ſurgere tecta iubet.
Nam mihi, Fatalis qua lux erat & maledicta,
Natalis facta eſt & Benedicta dies.
Hâc Deus ædificat me, orbis faber optimus; hac me
SAXONIS exornat prouida cura Ducis.
Hâc mihi ſuppetias chara misêre ſorores
Et Fratres, noſtris qui gemuêre malis;
Hinc antiqua mihi redit in præcordia virtus;
Hinc inuenta meis eſt medicina malis.
Mortua ſic inter cineres ſordéſq́ renaſcor,
Ceu Phœnix Arabum naſcitur ales agris.
Tu verò PHOENIX ô FILI virginis, ANNAE
CHRISTE nepos, AVIAE ſis memor vſq́ tua.
Serua AVIAE vitam; ſeruata da quoque vita
Gaudia; Da tutos ſurgere ab igne Lares.

Da, quæ fatalis fuit & maledicta, per omnes
Natalis ſit lux, & Benedicta, dies:

M, Melchior Leænus. P. L. & Eccle-
ſiaſtes Annæmontanus.

XI.

EPIGRAMMA ὀδυρτικόν.

INter Miſniacæ celeberrima mœnia terræ
Annæberga, tibi flos modò primus erat,
Haud ficta pietatis amans, & credula verbo,
Aonidum fueras culta frequénsq; domus.
Tu muris tectisq; decora, ſcaténsq; metalli
Fontibus, innumeris diuitiisq; potens.
Quin & juſticiæ cultrix, & legibus æqua,
Semper & ingenuis vrbs habitata viris.
At nunc in cineres tenuésq; exuſta fauillas
Dum ruis, hei quàm te triſtia fata manent!
Tanta premunt miſeram te nunc incommoda, clades
Indomitum vt ferrum & flectere ſaxa queat,
Lugeat ac omnis regio contermina, tantis
Afflictam, afflictos téq; tuósq; malis.
Det Deus, exuperes hæc cuncta ferendo, tibiq;
Vt juſto redeat tempore floris honor.

M, Tobias Simon, Scholæ Dreſd: moder.

XII.

QVàm varijs hominum jactatur vita procellis?
Caſibus innumeris illa ſubacta jacet.

Nunc

Nunc Bellona furit minimè bella, horrida bella
Præliáq; innocuis ſanguinolenta parans,
Nunc miſeranda lues mortalibus imminet agris,
E viuiſq; hominum millia multa rapit.
Nunc properantis aquæ per amœnos ambitus agros
Vrbes dilacerat, florida prata, domos.
Aeolus aut rupto ventorum carcere ſæuit,
Ingentes turres celſáq; tecta ferit.
Aut, Vulcane, tuo juga, tigna, trabéſq; domorum
Succumbunt miſerè, damnifero imperio.
Teſtis adeſt vrbs Annaberga metalliferarum
Præſtantiſſima, quæ nunc nihil, ac cinis eſt.
Sed nihil eſt fruſtrà, nihil eſt ſine numinis alti
Arbitrio, nutu, conſilióq; graui.
Ergóne peccatis horum, qui damna tulere,
Hæc accepta ſibi fata referre decet?
Abſit, namque licet meritò quoque pœna vocetur,
Nos tamen à labe haud candida turba ſumus.
Digni, quos vltrix jamdudum flamma prehendat,
Et nobis æquè tecta domúſq; voret.
Hinc vicinorum nos commiſeratio tangit,
Et petimus læſum ſupplice voce Deum.
Scilicet vt miſeris, cui nos peccauimus omnes,
Iniuſtum patrio corde remittat opus.
Ne Phlegetontæo nos corripiamur ab igne,
Námq; in ſulphureo manſio dura lacu.
Arceat à noſtris vt damna futura columinis,
Néue petant noſtros tanta pericla lares.
Quod ſupereſt, mæſtis ſolamina dicere fas eſt,
Addatur votum, vota precéſq; valent.
Idcirco exuſti Domino confidite ciues,
Plurima qui reddet pro bonitate ſua.

Digitized by Google

E cinere exurgant celſiſſima mœnia, damnum
Quæ ſuperent, vobis det bona cuncta Deus.

M. Iohan: Reiſiger. I. E. S. à ſecretis.

XIII.

CVm ſubit illius ſpecies triſtiſſima lucis,
Quâ rapidâ cecidit patria chara face,
Mens ſtupet, oſſa tenet pauidus tremor, arida pendet
Gutture lingua, omnis corpore ſanguis abit.
Mox vbi mens rediÿt, lacrymis madefacta tumeſcunt
Lumina, nil præter plangere palma poteſt.
Nec modò, queis primos Annæ mons attulit ortus,
Nec queîs Muſarum pocula prima dedit;
Sed quorum triſtis nimiùm peruênit ad aures
Fama, necis deflent aſpera fata tua.
Ante alias lugent Friberga, Schneberga ſororem
Exequias Matri nata Maria parat.
Miſnia ponè ſequens ſinuoſa tegmine palla,
Trunco, facta minor, corpore, tota gemit.
Heu Vulcane ferox, non te miſeratio templi
Conſpicui, celebris non tetigitq; Scholæ?
Magnifico poteras quî cultu tecta ſuperba
Ignibus in cineres vertere dire tuis!
At quondam ſimili ſtrauiſti Pergama lapſu,
Sic combuſta iacent limina, Dido, tua.
Nec mirum: vera ſuberat pietatis imago
Nulla: Deus, lignum ac aurea maſſa, fuit.
At tu ſupremi cum nocte dieq; reuoluas
Anna, tuis animis, iuſſa verenda DEI:
In muros, in templa (dolor meminiſſe) domosq;
Quid potuit claudus iuris habere faber?

Effera

Digitized by Google

Efferа Vulcani nocuit vis nulla tibi, ſed
Gratia quæ dederat numinis, ira tulit.
Scilicet vt memori voluamus pectore, iuſſo
Tramite de recti longè abijſſe pedes.
Ponderet & ſecum ſemper mens ſobria, cuncta
Vno qui rapuit, reddere poſſe, die.
Durum eſt, amiſſis (fateor) conſiſtere rebus,
Atque vbi nil supereſt, fidere corde Deo.
At quia nemo poteſt reſcindere fata, nec iram
Tollere, quàm precibus, concipe, quæſo, preces.
Concipe, verùm humiles, & tinctas ſanguine Chriſti,
Dicens: Tu ſolus damna leuare potes.
Expatiata Dei per vaſta incendia patris
Ira, viam releget non remorante pede.
Concipe mente preces, & rurſum templa replebit
Sermo, ſacra pandent ſe tibi tecta domus.
Iura dabunt patres, ciuis mala facta peroſus
Sincerum recto tramite carpet iter.

Fridericus Bornheinrich Annæmontanus, Paſtor Eccleſiæ Chriſti in Tzſchorta.

XIV.

CEu textas è fronde caſas & ruſtica tecta
Cecropis vrbs monſtrat prætereàq; nihil,
Quæ tamen in precio quondam fuit, atque ſuperbum
Extulit ad cœli ſidera celſa caput:
Sic auia Chriſti, ſic montis nomine dicta
Vrbs, modò te vaſtam flamma coruſca dedit.
In tenues ſiquidem cineres atomóſq; vagantes
(O fatum miſerum) tota ſoluta iaces.

Tu tamen hinc capies ſolamina firma, quòd illa
Pro vero coluit numina ficta Deo.
Idcirco periјt, veſtigia vixq; ſuperſunt,
Quæ non vlla poteſt reſtituiſſe dies.
Verùm tu Chriſto quia fidis, credula verbo,
E ſuperi Patris quod tulit ipſe ſinu,
Accipies rurſum decus amiſſumq; nitorem:
Atque pium vincent ſeria vota Deum.

M. Caſpar Fugerus Dreſd. Scholæ patriæ Conrector.

XV.

SI totam rapidæ vis flammæ perdidit vrbem,
Annæberga jacens qualia fata gemit:
Non ſolùm cauſa eſt animo reputanda ſecunda,
Qui ſuccendit, homo, ſed quoque prima, DEVS.
Vtitur hic illo, quoties vult improba turba
Securæ dignis plectere facta modis.
Zelotes Deus eſt, conſumens ignis, & vltor,
Peccatiq; oſor, ceu ſacra ſcripta monent.
Nec tamen hinc ſtatuat quisquam temerarius, vrbem
Vnam præ reliquis hoc meruiſſe malum,
Quòd ſit vindicibus miſerè diſperdita flammis,
Et cunctis penitus deſpoliata bonis:
Verùm quisque memor ſit dicti, γνῶθι σεαυτόν:
Séq; Deo coram ſentiet eſſe reum.
Pectore tunc juſtum fœda ob malefacta dolorem
Concipiens, veniam ſupplice voce roget.
Inque cruentati ſpem ponat vulnere Chriſti:
Vnus hic eſt homini vita ſalusq; datus.

Deni-

Deniqueſic mores & vitam corrigat omnem,
Proſit ut hîc alijs, laude ferátq; Deum.
Sic Annabergæ poteris perpendere cladem
Rectiùs: hinc facili fundito vota Deo.
Clarior ut multò pòſt ſplendidiórq; reſurgat,
Quàm ſtetit antè, piæ relligionis amans:
Et bona raptæ cuique duplo reddantur, Iobo
Vt Deus ereptas conduplicauit opes.

Thomas Pitſchius Dreſd. ludi patrij collega.

XVI.

IN MISERABILEM PATRIÆ CONflagrationem, πλάσις κατ' ἠθοποιίαν.

SIccine, carè Pater, patrium proſternere Montem
Vindicibus flammis mens tibi certa fuit?
Nec tua magna parens ANNA inclyta flectere mentem
Iratam potuit ſupplice voce gemens?
Non dubito, quin, cùm tu incendia tanta parares,
Ipſa videns, tales fuderit ore preces:
Parce nepos, ô parce, mihi me carior ipſa,
Ne tuus in tantum ſæuiat, oro, furor.
Mons ſacer ille mihi veterum pietate parentum,
Ille tuo noſtrum nomen amore refert.
Altera ceu vallis IOACHIMO ſacra marito,
Nate tui præfert blandule nomen aui.
Si quis amor, ſi noſtra tibi non cura receſſit,
Ne loca nominibus dedita perde meis.
Nate tibi Templum, patres, ſed amabile Templum
Condebant, quo vix pulchrius Arctos obit.

Digitized by Google

Nempe tuo quiuis tum conſecrabat honori,
Quas fundebat opes diuite terra penu.
Hoc tua ſperabat placari Numina cultu,
Fraude cuculligerûm turba ſubacta graui.
Tempore mox nebulis paulatim & nubibus atris
Diſcuſſis, cæpit clarior ire dies,
Quo ſtabant operum perfecta mole labores,
Vota meæ (memini) talia mentis erant:
Omen ineſt operi ſtructo, felicibus ortum
Perduret lætis incolume auſpicijs.
Iam quid Nate paras? hanc vrbem excindere totam?
Ne tuus in tantum ſæuiat, oro, furor.
Quid meruère domus patriæ? quæ crimina templum
Inſons commiſit, curia, quæué ſchola?
Exuuijs requies ſanctis promiſſa negetur?
Flamma voret, quas nec barbarus hoſtis adit?
Ad matris meruit quidnam vbera pendulus infans,
Quiq; tuam querula voce precatur opem?
Innocuam cernis puerorum nonne cateruam?
Egreſſam patrijs ædibus vrbe procul?
En teneras cuncti tendunt ad ſydera palmas,
Et lacrymis, gemitu, te prece, voce rogant.
Inſontes animas, id amabile reſpice vulgus,
Nec tuus in tantum ſæuiat, oro, furor:
Dum queror, ignis edax per ſumma cacumina regnat,
Nil metuens, ædes audet adire ſacras.
Et tepida altiuolæ pertingunt aſtra fauillæ:
Sic Mons, Anna, tuus labitur in cineres.
Dixit, & auertens vultus, obmutuit, ora
Occuluit, nulli conſpicienda diu.
Diſcite vos omnes in vulnera noſtra tuentes,
Exemplo moniti, quilibet eſſe pij.

Nos

Digitized by Google

Nos Deus aduerſus ceu juſtam exarſit in iram:
Ni ſapitis, ſimilis vos quoq; pœna manet.

M. Iohan. Schreiterus Annæbergenſ.

XVII.

TRiſte quid, ah quid triſte inopinus inaudio? flammis
Annaberga hei! hei! dilacerata jacet.
Annaberga decus terræ, decus inclytum & aureum
Et magnæ, & magni, laudis, honoris eras.
Verùm vbi nunc, vbi nunc carum caput? expirauit:
Iactura ô grandis, grandis & ampla boni.
Scilicet hæc noſtræ meruit contagio culpæ,
Hæc Deus, hæc iræ ſunt monimenta tuæ.
Omina ſunt, ſunt omina: mens præſaga ſtupet, cor
Et timet, & coma ſtat, flet gena, dextra riget.
Anne etenim in tanto, in tam triſti turbine rerum
Sperandum quicquam eſt vtilis atque boni?
Nulla vbi grata DEO probitas, vbi vincta, vbi victa
Relligio, & ſæuo milite Turca furit.
Téq; Eccleſiola turbella miſella miſella
Fraude, rota, cruce, aquis, funibus, igne premit.
Sed premat & fremat: at tu tu Deus optime maior
Tu traxiſſe hoſti lora per ora potes.
Tu modò ne noſtris nimium ne iraſcere culpis,
Sed placidi vultus exere dulce jubar.
Sic citò vincemus duce te, ſit ſubdita nobis
Vis furibunda, ruens orbis, & orcus erit.

M Balthaſar Meiſnerus Dreſdenſis.

XVIII.

HEu lux infelix, atróq; notanda lapillo,
Heu miſerè fatis triſtibus orta dies.
Igne furente ruis ſubitò (ſic fata tulère)
Patria, magnificis ædibus ampla prius.
Templa ruunt, rapidis abſumta eſt Curia flammis,
Igne cadunt celebris docta theatra ſcholæ.
Tu cineres vrbis cernens, pius eſto, Viator,
Huius ab exemplo diſce timere Deum.
Pœna Dei fuit hæc, factis excita proteruis,
Pœna fuit, vitijs nec tamen æqua ſatis.
Sed miſerere Deus, Deus ô miſerere tuorum,
Tempore da ſurgant tecta peruſta ſuo.

M. Chriſtianus Tunckelius, Annæmontan:
ad ædem SS. Trinit. Paſtor.

XIX.

ILiacæ ſileant vates incendia Troiæ,
Quæ fuit Argolico tota cremata rogo.
Annabergiacas poſthac memorate fauillas,
Quorum opus eſt numeris cogere verba ſuis.
Heu Vulcane vorax, nullis cohibende catenis,
Cur tantas ſubitò depopularis opes?
Non pietas flexit te, nec reuerentia templi,
Non lamenta, preces, votáq; cum lacrymis?
Priuata in cineres abière & publica tecta,
Diſperſa in triuijs fragmina rara jacent.
Antè oculos ponit ſic nobis Rector Olympi,
Quid meriti ſimus, prauáq; corda monet.

Ac

Digitized by Google

At tu, ſancte DEVS, miſeras ſolare ruinas,
Vrbi fac redeat priſtinus ille nitor.
Sic tua poſt varias clades recreauit Iobum
Gratia, & antiquas multiplicauit opes.
Spes eadem flammâ ſpoliatos erigit, inter
Tot mala, te damnis conſuluiſſe ſuis.

M. Paulus Berger. Ill. El. Sax. ab epiſtolis.

XX.

Siccine, juſte DEVS, patriam ſubuertere flamma
Vltrici, dolor heu, mens tibi fixa fuit?
Nil miſeras miſerate preces, ſuſpiria, planctus,
Nil fuſas lacrymas, vota iterata nihil?
Aſt animo quis tam vecors, temerarius, audax?
Improbet vt mitis conſilium Domini?
Miſcuit hîc certè (ſi vera fatebimur) iræ
Sucenſæ patrio, multa, fauore Deus.
Sic vrbs collapſa eſt, vt ſurgere, ſi modò læſi
Ematuruerit Numinis ira, queat.
Quod magis eſt, citra interitum tua conſtitit ira,
Sancte Pater, parcè viribus vſa ſuis.
Funera quis numeret, Sodoma dum regna peruſtis
Procubuêre agris, in cinerem acta ſuum?
Funera ſed Patriæ numerantur quattuor: ô quàm
Inclytus & memori carmine dignus amor?
Vita data eſt, mediósq; tamen ſeruata per ignes,
Diuitias quamuis perdidit igne rogus.
Perge igitur ter ſancte DEVS ſuccurrere lapſis,
Proiectis fidam néue negato manum.

David Geſsca Annæbergenſis, Medevvicenſium in Diœceſi Pegauienſi Paſtor.

Quis

XXI.

Qvis putet? Annaberga iacet. Quid? ab hoſte ſubacta?
Hoſtem non habuit Patria, Pacis amans:
Fortuitò (miſerùm) exortis vrbs inclyta verſa eſt
Ignibus, heu cineres Patria Terra gerit.
Sed fluxas quid flere iuuat, mea Patria, quidue
Quærere diuitias, quæ periêre? nihil.
Virga paterna tuos correxit, Patria, næuos:
A ſummo eſt factum, quicquid in vrbe, Deo.
Ad Dominum potiùs verâ pietate fideq;
Dirige plectentem lumina, corda, manus.
Et tibi ſuccurret ſolitâ bonitate, gementem
Clementi aſpiciens lumine, corde, manu.
Alme Pater, Gnatum propter cohibere flagellum
Dignare, ac patriæ, te rogo, parce meæ.
Quàm ferus hic fuerit, quámq; implacabilis irâ
Vulcanus, mitis reſpice quæſo pater.
Et quia ſolùm opibus iacet vrbs orbata caducis,
Quas illi potis es reddere quóque die,
Huic vitæ maneat, faxis Pater optime, verbum,
Quo licet ad cœli ſcandere ritè domos.

Iohannes Luhn Annæmontanus.

XXII.

Nobile Miſniaci decus ANNAEBERGA Pelori,
Vrbis Chemniciæ fida & amica ſoror.
Heu mihi, quanta tulit tibi damna nefarius ignis,
Qui nuper totam te dedit in cineres.
Ergóne per cineres demta eſt tibi vita, fugitq;?
Non fugit: æternos permanet illa dies.

Viuis

Viuis in hiſtoria, vivêsq́; ſequentibus annis,
Dum cœlum ſtellas, gramina campus habet,
Dum quoque ſaxicrepo ſe tollet ad aſtra Pelorus
Vertice, & æriparum ſcindet Oreas humum.
CHRISTE faue votis & chara ciuibus vrbis,
Quæ Te dante viget, Te renuente cadit.

Antonius Vueck Annæbergenſis.

XXIII.

IN triſtes ſoluor lacrymas, ſuſpiria pectus
Sæpè iterata premunt, membra dolore ſtupent,
Dum patriæ, eheu, damna, ingentia damna, redactas
Anxiâ & in cineres mente reuoluo domus.
Funeſtam, ah, lucem, Diuæ mons inclytus ANNAE
Quâ ruit, atque vrbis nomina nuda refert.
Siccine vos rapido depauit vortice flamma?
Inclyta cum tectis, curia, Templa, Scholæ!
Siccine opes vrbis, pretioſa ac vndique merces
In fumos, Ioua vindice, iere leues?
En patriam, patriæ ciuis, vir clare, miſellam,
Moeret vt emenſos, igne pereſa, dies.
En age, Natalem cuius, ritúsq́; ſtatúsq́;
Mores, & flores, ſcitáq́; ſancta fori,
Rerum geſta, metalla egeſta, virósq́; celebres
Deſcripſti duplici codice, amore ſoli.
Nunc iterum proſtrata, tuis conſurgere ſcriptis
Optat, téq́; eius vult doluiſſe vicem.
Ergo dum in patriæ tuus ardor adornat opellam
Funera, vt eſt grati, vir reuerende, viri:
Ipſe nouæ reddes vitam patriæ, vt dedit olim
Ipſa tibi, & viues munere, cuius habes.

Ciuem ô laudatum patriæ, qui rebus in arctiſ
Aequè ac in lætis porrigit vsque fidem.
Auguror, ex veteri reſupinum tollet in auras
Vrbs caput, & porrò dogmata ſancta colet.
Da Deus haud fallar. Magno pro crimine paulum
Supplicij ſatis eſt, ô pater alme, patri.
Interea patriæ noſtræ, & tibi fauſta precatur
IENISI, mœſtis mœſta Thalia modis.

Chriſtophorus Monachus, Annæbergius:
Ludimoder: VVeiſenſchæ.

XXIIII.

STa paullum, & ſortem mecum meditare viator
Incola Pelori qua miſerè premitur.
Plora, namque aliquid grauius nec triſtius vnquam
Viſum eſt, in cineres mœnia verſa vides.
Mœnia per multas longè celeberrima terras,
Vnde quoque egregij qualibet arte viri,
Haç miſeranda jacent, horum vix nominis vmbra
Reſtat: non vrbem, ſola rudeta vides.
Horreſco referens, & præ mœrore miſellum
Cor gemit, & lacrymas maxima damna mouent.
Diſcite mortales reuereri numinis iram:
Eheu quàm verè eſt res grauis, ira Dei.

Simon Ammonius, Annæbergens: Paſtor
in Olbersdorf.

XXV.

ANNAEBERGA, fui quæ diues & ampla metalliſ,
Culta ſcholis, templis relligioſa pijs:

Quæ

Quæ genui multa præſtantes arte, ſuperbit
Phœbus, & Aonij queîs pia turba chori:
Nunc velut halcyone deſerta in littoris alga
Conqueror, & vita crimina ploro mea.
Crimina, queîs merui, mecum quòd templa ſcholásq;
Hauſerit & cunctas igneus ardor opes.
Hæc ſunt dira manus, ſunt hæc tam barbara, Lector,
Factio, quæ obtuſis ſenſibus auſa nefas.
Non ergo incuſo, qua fortiter vſus es, jram
In me, juſta fuit namque ea, magne Deus.
Sed mea deploro lacrymis peccamina fuſis,
Quæ pœnæ & tanti ſunt mihi cauſa mali.
Sollicitóq; pijs cœleſtia numina votis,
Fiat vt irati mollior ira Dei.

M. Philippus Badhorn, Annæbergius.

XXVI.

Si modo fas ſanctis lacryma confundere vultus
Matribus, & gentis fata dolere ſuæ,
Flebilis Anna tuos lacerando ſolue capillos,
Ah nimium juſti cauſa doloris adeſt.
Ille tibi quondam ſacer, & tua fama, fauillis
Mons jacet, atque tuas ſuſtulit ignis opes.
Ecce metalliferis lugent in collibus, olim
Sueta cauernoſos turba ſubire locos.
Aſpicis, errantes vt eant (miſerabile) nulli
Malleus in dextra, lampade læua caret.
Vt formica ſuos circum meat orba penates,
Lecta nec aſſueto grana labore vehit,
Si quis fortè ferus granaria villicus illi
Turbat, & aggeſtas depopulatur opes

Digitized by Google

Nec minùs attonitæ ſub montis Oreades alta
Rupe ſedent, Annæ triſtia damna gemunt.
Vaſtáq; ſaxa ſuis latè ſingultibus implent,
Et Pilî lacrymæ rore madeſcit apex.
Scilicet vnde priùs lætæ vidêre vapores,
Dum leuis argenti flamma recoxit opus:
Nunc alius ſpectant vapor vt caligine cælum
Occupet, vtq; alio candeat igne locus.
Vósne, ſacrata Deo, feralibus vrere flammis
Culmina, damnoſi ſuſtinuêre rogi?
Fas Mahometæos potiùs vertiſſe penates,
Vanáq; blaſphemi fana cremaſſe gregis.
Quid meruêre ſacris deuotæ legibus vrbes?
Quidue domus veri relligioſa Dei?
Siſtite ſed lacrymas Annæides, aſpera forſan
Fata remolleſcent, ſit gemuiſſe modus.
Veſter ciuis enim veſtro Ieniſius ortus
Monte, quis ô lacrymas ſiſtere nollet? adeſt.
Et pia facundis miſcet ſolamina verbis,
Dum memorat Patriæ fata dolenda ſuæ.
Forſitan Anna ſuum, quæ nunc jacet horrida, rurſum
Eriget ex jmo puluere veſtra caput.
Forſan & illa dies, (faueant modò numina) cùm gens,
Qua pereunt aliæ ſorte, vigebit, erit.
Hanc ferat ô vtinam, qua talem cernere poſſim,
Gratia de cælo miſſa ſalúsq; diem.

Salomon Schmit Annæberg

XXVII.

Siſte gradum, tumulos qui cernis amice viator,
Et mea fata animo diſce doléq; pio.

Google

Illa ego, quam ſtruxit DVX SAXO GEORGIVS urbem,
Deq́; auiâ Chriſti nomen habere dedit,
Nunc deſtructa nigris jaceam cur mœſta fauillis,
Miraris, domuum diruta tecta ſtupes?
Deſine mirari: eſt irati numinis illud
Indicium: heu ſuperi quàm grauis jra Dei!
Me tamen haud omni deſertam parte putabo:
Nam quoscunque Deus plectit, amare ſolet.
Antè ſuósq́; premit, quàm preſſos eleuet, & quos
Viuificat, patitur fata ſubire priùs.
Ergò tuum, quisquis meus incola, ſiſte dolorem,
Cui ſors cunque tuam ſuſtulit atra domum.
Omnia, crede, Dei bonitas immenſa refundet,
Saxoniaq́; pij Principis alma manus.
Hoc tu TRINE DEVS, nitidi regnator Olympi
Perfice: da precibus pondus ineſſe meis.

Chriſtophorus VVeitzendorffius Annæberg.

XXVIII.

Siſte pedem, cineres qui tranſis hoſce, viator:
Iuſta inſperati cauſa doloris adeſt.
Ignis enim ex imo ad faſtigia ſumma volutus,
Montem Annæ extremo perdidit exitio.
Vrbis magnificæ pars nulla illæſa remanſit:
I nunc, vltorem dic nihil eſſe DEVM.
Mors vrbem inuaſit, migrant in rura Camænæ,
Inter & agreſtes mœſta Thalia ſedet.
Eheu! quis tantum potuit ſperare dolorem?
Aut quis jam miſeris temperet à lacrymis?
Quis ſuſpiria, quis gemitus, quis verba precantum
Neſciat, in tantis heu repetita malis?

Digitized by Google

Implentur clamore aures, clamore reſultat
Aether, luctiſonis fletibus aura fremit.
Deflet vterque parens natos, natiq; parentes;
Vir damna vxoris, fata ſed illa viri.
Flebilis occurrit puer à genitrice relictus,
Mater Io mea, tu dic mihi, clamat, vbi eſt?
Heu dolor! heu gemitus! quæſo, quis talia ſiccis
Audiat, aut poſſit commemorare genis?
Talia ſunt, meritò vt noſtro non parcior imber
Lumine, quàm vernâ de niue mânet aqua.
Ah dolor! I nunc, & rebus confide ſecundis,
Fortunam quisquis ceu venerâre DEAM.
Hinc (moneo) ſeri capiant exempla nepotes,
Et diſcant vitæ conſuluiſſe ſuæ.
Non ipſos tangat veſana ſuperbia, néue
Turgida ventoſus pectora faſtus agat.
Viribus haud fidant, diſcant, mala factâ peroſi,
Quid tulerit præſens, quid ferat hora ſequens.
Non ſolidæ turres, non mœnia lata, nec agger
Proſunt, irati dum furit ira Dei.
Ergo timor, probitas ſint murus aheneus: iſtis
Innitens firmo pectore, tutus eris.
At tu ſumme Deus depreſſis mole malorum,
Si precibus juſtis flecteris, adfer opem.
Tu patriæ ſerua tabulas & fragmina noſtræ,
Diſperſis placidâ da ſtatione frui.
Erige, junge domos lapſas, & ſubtrahe morti
Perpetuæ, redeat priſtinus ille nitor.
Hoc modo honor, noménq; tuum, laudéſq; manebunt,
Dum labra præſtabunt mollia vocis iter.

Ioannes, Pauli fil. Ieniſius, Annæbergenſis.

XXIX.

Funere in Herculeo miraris Regia Mater,
Parua quòd Oeteos clauderet vrna rogos.
Deſine mirari: rapido Monis *igne pereſus*
Exiguis Annæ *conditur in tumulis.*
Da meliora Deus: tumulis fac ſurgere Montem,
Vertice ſidereas pulſet vt inde domos.

Paulus, P.F. Ieniſius, Annæbergenſis.

XXX.

CHRONODISTICHON.

Vt LVX ſeptena aC VICesIMa LVCet AprILIs,
Annæberga CIuIs IgnIbVs Vſta rVIt.

M. Iohannes Förſterus.

Aliud.

LVCIfer heV Magno LVCtV ter nonVs AprILIs
FVLsIt, & InfeLIX ILLIVs hora prIor.

Petrus Bersmanus Annæbergius, Elect. alum. VVitebergæ.

Aliud.

CLarVs aprILIs VbI noVIes ter LVXerat, eCCe Vrbs
MIſta reperCVſsIs IgnIbVs ANNA perIt.

Paulus Ludouici Scheibenberg. Elect. alum. VVitebergæ.

AD

Digitized by Google

AD CHRISTIANVM II. DVCEM Saxoniæ, Electorem, &c. Dominum clementiſs.

ANNÆBERGA SVPPLEX.

QVæ venit, alta Tui ſubitura palatia tecti,
E cinerum tumulis litera miſſa venit,
Magne pater CHRISTIANE, *omnem qui Saxonis oram*
Et validis populos ſub ditione regis.
Vrbs tua laurigeris olim celebrata Camœnis,
(*Phœbeo* & fueram *carmine* digna *cani*)
Vrbs Latio bene nota ſolo, bene nota Britanno,
Vrbs in Sarmaticis concelebrata jugis,
Quin & hyperboreo non ignorata ſub axe,
Vrbs Rhodano & leni ſæpe vocata Tago,
Heu dolor, in tenues abij reſoluta fauillas,
Quæq́ habui, indomitis ignibus hauſta jacent.
Atria pulchra patrum, Schola, Templa, Palatia, & olim
Pauperibus fida condita tecta manu,
Ciuica cuncta domus, turrita cacumina, portæ,
Et quæcunque forent vſibus apta ſuis.
Omnia ſic flammis ceſſere, viator vt vrbe
In mediâ quærens, vrbs ea, dicat, vbi eſt?
Vna dies flammis miſeræ quæ demſit obortis,
Euerſæ poterit reddere nulla dies.
Omnibus hinc idem labor, ingemuiſſe jacenti,
Ire & pullatas funeris exequias.
Et meritò. Si quem nulla hîc miſeratio tangit,
Non homo, ſed bruti nomine dignus erit.
Heu vereor, ne ſim tanti mihi cauſa doloris:
Scilicet offendit publica culpa Deum.
Credo equidem, medijs exarſit in ignibus ira
Numinis, vt fureret ignis in igne duplex.

Haud

Haud incerta loquor, nec pugno duriùs illi:
Irati ſunt hæc flagra ſeuera Dei.
O tandem in miſeram placidum DEVS indue vultum,
O tandem inueniat tam grauis ira modum.
Cunctorum inuigilat ſemper Tua cura ſaluti:
Quod fuimus, vel quod jam ſumus, omne Tuum eſt.
Tu feſſa requies, fulcis Tu robore inermem:
Te præter vitam reddere nemo poteſt.
Ergo ſalutiferas exprome benignior artes,
Vulneribus præſens vna medela meis
Magne opifex Mundi. Me ſi reſpexeris, ad me
Lumina Dux animo candidiore feret.
Reſpice me placido Dux ô mitiſsime vultu,
In miſeram ſi Te priſtinus vrit amor.
Rumpe moras: Tua ſum, meus vt CHRISTIANE fuiſti:
Atque proba patria te pietate patrem.
Me mihi redde, precor, faciem mihi redde priorem,
Méq; jube ſolito rurſus honore frui.
Plus decorum inde feres, multo quàm milite fiſus
Si quis Atlantiacam victor oberret humum.
Prima ſub ALBERTO poſui fundamina, ductor
Cùm premeret Phryſium Marte fremente ſolum.
Nunc vbi difficili Tibi ſum reparanda labore,
Cura rei, Princeps *inclyte, tota Tua eſt.*
Tota Tua eſt, Princeps, *totam ſubiiſſe memento:*
Principis eſt Virtus magna juuare ſuos.
Ergo juua, furuo ſubtractam gurgite lethi,
Extractam fida ſub ſtatione refer.
Sic Tua non vllis vaneſcet adorea ſeclis,
Poſteritas ſic te perpetuata colet.
Sume age mens animos: Princeps me fronte ſerena
Contuitus tales promit ab ore ſonos.

K Excu-

Excute turbati mœrorem pectoris, & me
    Velle puta: tribuet quæ volo, poſſe Deus.
Tolle oculos, oculis iamiam viſura ſupremo
    Auxilia offenſi numine miſſa Dei.
Illius arbitrio, quidquid fuit atque futurum eſt,
    Voluitur: hic reddet Te tibi, Téq; Mihi.
Vrbs Tibi redderis: potui quid dicere maius?
    Nouit habere ſacri numinis ira modum.
Noſtra licèt ſæuo quatiat delicta flagello,
    Pectus amore tamen mite parentis habet.
Hunc ſpecta. At Mihi te quoniam concredere geſtis,
    Incipe ſubſidio fidere firma meo.
Turpe erit in dubijs vrbem relinquere rebus,
    Et, niſi ſit felix, eſſe negare ſuam.
Non hi ſunt faciles generoſi pectoris æſtus,
    Quod certam properat ferre ſalutis opem.
Fide Deo, poſitóq; metu ſpem ſume virilem:
    Eripiet tantis Te Mea dextra malis.
Macte animis PRINCEPS, multum hæc audiſſe juuabit:
    Pollicitis videor viuida facta Tuis.
Spes animoſa redit, redit in præcordia virtus,
    Eminus oſtentat lux rediuiua jubar.
Tempus erit, mihi quo gratantia pectora dicent:
    O bene de tumulis vrbs renouata tuis.
Tempus erit, procul adueniens vbi viderit hoſpes
    Bis genitam, Splendor, dicet, hic vnde Tibi eſt?
Tunc ego: CHRISTIANVS VOLVIT DVX ENSIFER,
    Sic REPARATA DEO, SIC REPARATA (VT SIM
                                                    (DVCI.

M. Paulus Ieniſius Annæbergenſis, ἀχνύμενος
fac. Dreſdæ 20. Maij.

AD

AD SENATVM POPVLVMQVE ANnæbergenſem, de incendio, ad 27. Aprilis, anno 1604. immaniter in vrbe graſſante, commonefactio.

Sal. plur. & in Chriſto perpetuam precor.

PErcontantur ex me multi, quid animi fuerit, cùm de patria incendio vaſtata ſermo primùm increbreſceret? Ita valeam, itaque viuam, vt nihil in vita audiui triſtius. Pendebam animi, neque ſatis conſtituere poteram, plúsne doloris ex ruina præclaræ vrbis caperem, an moleſtiæ ex dentatis voculis, quæ de incolis nec modeſtè ſatis nec verè paſſim locorum diſſeminabantur. Nam vt tempora hodie ſunt, parum nonnullis videtur, damnum miſeris irrecuperabile illatum eſſe, niſi bonorum iactura, famæ qua nihil præſtabilius eſt, detractione cumuletur. Cæterùm vt de negocio ea quæ ſentio, liquidò ac ſine inuolucris proferam, duo in hoc vrbis caſu maximè ſpectanda arbitror: vnde incendia vulgo exiſtant: quibus item conſolationibus erigendi ſint perculſi & iacentes piorum animi.

Ad primum dum accingor, iſtud prius ὡς ἐν παρόδῳ delibandum, quod eruditiores Philoſophi prodiderunt: Ita cum iis rebus, quæ Lunæ orbi ſubſunt, comparatum, vt in fluxu ac motu perpetuo verſentur, ſintque mutationum vicibus obnoxiæ. Hinc aër inſuetis ſæpe ignibus ſcintillat: non rarò ſubitæ ac citra euidentem cauſam perturbationes in infima eius regione graues exiſtunt: nonnunquam Cometæ, ſæpius chaſmata, virgæ, trabes ardentes ſpectantibus ſe obijciunt: audiuntur fragores inſoliti cum ventorum procellis. Nubium partes abruptæ & ad imum tendentes totas ſæpe villas & oppida inundarũt. De inſulis proditum eſt, vi tempeſtatum nonnullas abſorptas, alias rece-

Digitized by Google

recedente æſtu & arenis congeſtis de nouo emerſiſſe. Inarime mons motu terræ diſcluſus à continente, Prochytam fecit inſulam, anguſto freto interfluente. Siciliam Italiæ olim iunctam fuiſſe Trogus Pompeius author eſt: at poſtea vndarum mole in anguſtas fauces incumbente auulſa eſt, promontorijs hincinde extantibus, quæ nauigantibus horrorem incutiunt. Montes in planum deducti, vallium conuexa terræmotu æquata leguntur: flumina mutatis alueis curſum ſæpe aliò flexerunt: maria terminis productis oppidiſq; abſorptis in nouos ſe effuderunt ſinus. Ex fontibus multi ſiccantur, alij de nouo proſiliunt. Terra ipſa frugibus modò abundat, modò fœcunditatem ſterilitate commutat. Arborum fructus ſapore & ſalubritate grati, paulò pòſt malignitate contracta nocumentum afferunt corporibus. Aer ſalubris cunctiſq; animantibus innoxius, ſuis temporibus venenatus fit ac peſtilens. Venæ ſubterraneæ argenti auriq; feraces plurimis locis ſui quaſi oblitæ ſterileſcunt. In imperijs illa oriuntur, hæc occidunt. Reges, principes, Monarchæ cum maiorum virtute ipſam ſæpe gloriam perdunt. Multi populi armis aut diſciplinis olim claruerunt, qui hodie ignauia & luxurie diffluunt. In bellis anceps ſemper fortuna eſt, ex quo Mars ἀλλοπρόσαλλος καὶ ἀνάρσιος, à quibuſdam transfuga dictus eſt. Ipſæ quin hominum voluntates, ſtudia, actiones, conſilia ſuis temporibus mutantur. Mutationum hæ vices (aiunt Philoſophi) ipſas quoque vrbes attingunt, quarum non minus atque hominum (Seneca teſte) tempora ſunt & fata. Hinc Babylonem Aſia, Carthaginem Aphrica ortum habere ſuum vidit, viciſsimq; occidere. Vidit Europæus orbis Romam ſua capere incrementa, ſua item decrementa & clades. Bardouicum Saxoniæ ciuitas Treuiri, ipſáque Roma ſcribitur fuiſſe antiquior; eius hodie nec lauta nec ſplendida veſtigia apparent. Inter Germaniæ ciuitates vix vllam dabis, quæ muta-

tio-

tiones experta non ſit. Aliam hoſtis vaſtat, aliam rerum vbertas & copia eneruat: ſunt quarum opes diſsidijs, æmulatione ac partium ſtudijs franguntur; aliæ ob inertiam & luxum, aliæ ob iniurias libertate excidunt: aliæ interuerſis commercijs ad inopiam rediguntur; ſunt quas aquæ obruunt, aut morbi populares ciuibus exhauriunt, plurimas vaſtant incendia. In ipſo hoc electoratu quis neſcit? Dreſdam, Miſenam, Freibergam, Naumburgum, Mersburgum, Hanam, Schnebergum, Plauiam, Eilenbergam, VVurcenam, Coldicium, Mitvveidam, VVerdam epiſcopalem, Oderam, Noſſam, Dippoldisvvaldum, Ruſpenam, VVolckenſteinium, Schmidebergam, Domiczium, Barruthum, aliáq; oppida flammis aliquando vel tota, vel magnâ ſui parte concidiſſe. Et (quod multorum animos vehementiſsimè perturbat) malum, quod paſſa modò ciuitas eſt, alijs temporibus idem alia, eadémq; aliqua iteratis vicibus experitur. In orbem enim rapiuntur hæ clades, alióſq; poſt alios communi quadam lege attingunt. Idque adeò non nouum, vt ipſi quoque veteres primum ac præcipuum hoc in malis ſolatium ſtatuerint, quòd humana eſſent, hoc eſt, eiuſmodi, quæ hominibus & ſæpe & facilè poſsint accidere. Hinc Crantoris vox, ὄιμοι. τίδ' ὄιμοι; θνητά τοι πεπόνθαμεν. *Heu me, quid heu me? humana perpeſſi ſumus.* Naturæ quem dicunt fluxum ac motum inſtabilem, cauſis quibuſdam irritari ijdem Philoſophi cenſuerunt. Primò quidem aſtrorum poſitu, concurſu, aſpectúq; mutuo, quibus variè excitari ac mutari corporũ elementarium vim, virtutẽ & qualitates arbitrati ſunt, teſte Manilio, qui

Omniáq; (inquit) ad numen cœli faciémq; moueri
Sideribus varijs, mutantibus ordine fata.

Alteram cauſam è fato mutuantur, quo cum regionum, regnorum, imperiorum, vrbium periodos ac conuerſiones, nullis, vtaiunt, obſtaculis cohibendas iunxerunt. Addunt loci cuius-

 que

Digitized by Google

que genium, hoc eſt vim quandam ſpiritualem & cœleſtem, occulta quadam proprietate locis inhærentem, adeóque ab humano ſenſu penitus remotam & abditam. Addunt temporis, quod minuit & conſumit omnia, longinquitatem, & quoddam veluti ſenium. Poſtremò hominum voluntates, inclinationes, affectus, & ex his ortos conſiliorum, ſtudiorum, actionum errores, quibus ſæpenumero caſus ac rerum mutationes proritari conſueuerunt. Ita ferè diſputantur hæc à Philoſophis.

Nos ſuis iſta authoribus relinquentes, ac fidem ſcripturæ certiorem ſecuti, ea quæ in natura fiunt, Dei opificis conſilio ac moderationi ſubijcimus, qui iuxta liberrimæ voluntatis ſuæ placitum, aut in ſtatu ſuo vrbes (nam de his præcipuè nunc ſermo) conſeruat, aut rerum naturalium, hominúmve inter ventu, mutationes in ijs excitat, aut omninò eas deuaſtat.

Ex rerum naturalium genere Ignes ſunt, aliâs & ſæpe quidem è nubibus, vi tempeſtatum delapſi, aliquando è terra erumpentes, aut quouis alio modo excitati, quibus ampla ſæpe & copioſa oppida fœdè exuſta perierunt. Multæ ac propè innumeræ ciuitates aquis ſubmerſæ, vix tenue ſui reliquerunt veſtigium, *excandeſcente*, vt ſcriptura loquitur, *maris aqua, & fluminibus duriter concurrentibus* (*Sapient. 5.*) Refert Hieronymus, mare ſub Valentiniano Imp. ſubinde diſcedens & recurrens terminos conſuetos tranſcendiſſe & prolixo ſpacio aridam ipſamque Alexandriam inundaſſe, ita, vt in tectorum faſtigijs poſt undarum delapſum ſcaphæ marinæ inuentæ ſint. Anno 1536. in extremâ Batauiæ orâ frequentiſsima oppida, ſuperfundente ſe Oceano, periêre. Motu autem terræ quàm funeſtæ clades vrbibus illatæ ſint, è Plinio, Strabone, Diodoro, Pauſania, Sabellico alijsq; cognoſcitur. Olympiade 101 motu terræ, ſuborto, ac pelago intumeſcente, plurimæ ciuitates, intérq; has Helice & Bura Achaiæ funditus deletæ ſunt. Mediæ præfectura eſt Rhagæ ap-

gæ ap-

gæ appellata, quæ cùm plurimas vrbes haberet maximè locupletes, tantos paſſa eſt terræmotus, vt & vrbes & incolæ vniuerſi perierint, & omnino regio mutata fuerit, & flumina, quæ antè fuerant, alia extiterint. Iuſtino imperante Antiochia terræmotu propè vniuerſa concidit: quæ verò motus intacta reliquerat, flammæ erumpentes, Euagrio teſte, hauſerunt.

Verùm his miſsis, ad incendia reuertor, à quibus plura ſemper & paratiora vrbibus, oppidis, caſtellis, pagis fuere pericula. Octauio Auguſto Imperatore crebra Romæ incendia fuiſſe memorantur: quæ res cauſam præbuit ſenatui, vt ſeptem cohortes militum oportunis locis conſtitueret, & vnaquæque binas vrbis regiones tueretur. Conſtantinopoli ſub Leone Imp. incendium ex lucernæ igniculo ortum, vniuerſam vrbis tùm priuatam, tùm publicam magnificentiam miſerabili ſpectaculo extinxit, flammis in quartum vſque diem, haud absque horrore durantibus. Veneta vrbs, circa annum ſalutis 1100. duplici incendio, intra 60. dierum ſpacium orto, ſedecim inſulis exuſtis, magnâ ſui parte flammis abſorpta eſt. Anno 414. pòſt, qui fuit à Chriſti in terris ortu 1514. ingenti numero ædificia ibidem igne conſumta ſunt. Rerum potiente Lothario Saxone, Oſterburgum, Moguntia, Goslaria, & Salinæ Saxonum conflagrarunt. Iterum Moguntinæ vrbis plus quam dimidia pars cum bis mille hominibus (ſi fides habenda authoribus) periјt interque hos Mathildis Lotharingiæ ducilsa. In Pannonijs regnum tenente Salomone Rege, Alba Græca ignibus tota conflagrauit. Poloniæ regni metropolis præcipua ſui parte, anno Chriſti 1462. rurſumque anno 31 pòſt igne vaſtata eſt. Nec deſunt exempla, cùm incendia & ſæpe & inauſpicatò, hominum miniſterijs, per ſummam improbitatem ſuſcitata ſunt. Neronis & Commodi Impp. ſæuitiâ Romæ ingentem ſtragem, iniecti ignes ediderunt. Patauij paucorum maleficio tria propemodum

dum

dum milia ædium anno 1154. conflagrarunt: Cracouia ſubor-
nato clàm incendio tota in cineres, anno 1125. ſoluta eſt. Vt de
alijs ciuitatibus non dicam, quæ ad eoſdem infelicitatis ſcopulos
aut noſtra memoria adactæ, aut deinceps (ni Deus prohibeat)
creſcente & ad ſummum propè apicem tendente hominum im-
pietate, cum maximo fortunarum diſpendio incurſuræ ſunt.
Nec dico, quàm multæ vrbes ſint, quæ aduerſo Marte pugnan-
tes flammis ac ruinis tandem ſubſederunt. At quæ fortui-
tò & per imprudentiam incendia excitantur, ea vbiuis locorum
& multa ſunt, & totis ſæpe Rebus publicis exitioſa, pœnis pro-
inde iuxta leges acriter vindicanda, præſertim, ſi cum detrimen-
to plurimorum, vel publicè vel priuatim aliquid peccatum ſit.
Priuatim delinquunt, qui vel per auaritiam, vel turpem igna-
uiam, aut imprudentem temeritatem ea domi ſuæ inſtruunt, quæ
non tam cauendis, quàm excitandis ac fouendis incendijs ſunt.
Quo in genere ſunt, qui focos habent peſsimè conſtructos, pe-
ius contra vim flammarum communitos: qui furnos locis in-
conuenientiſsimis erigunt, aut ob vetuſtatem vitium trahentes
non reſtituunt: qui balnea, polentariáſq; officinas, turpis lucri
cauſa, reclamante vicinorum turba excitant: qui linum ad fo-
cum exiccant, carpunt, pectunt: candelas ardentes in pecorum
ſtabula, lignilia, fœnilia, cubicula, granaria, horrea temere in-
ferri ſinunt, aut familiæ improuidæ quiduis permittunt, nihil
penſi habentes, quomodo ignis domi tractetur. Sed & magi-
ſtratus reprehenſione non caret, ſi lignis, ſtipulis, fœno tecta op-
pleri ſinit: cum focos ſupinè inſpicit: puteos & aquæductus ne-
glectui habet: cùm leges incendiarias aut non condit, aut benè
à maioribus conditas ſupprimit: cùm ſcalæ, harpæ, conti, vrnæ
incendiariæ, & huiuſmodi inſtrumenta tempeſtiuè non paran-
tur, aut corrupta reponuntur: aut cùm excubiæ aguntur negli-
gentius. Ad quæ porrò iſtud ſæpe accedit, quòd incendijs ob-
ortis,

ortis, nimis oſcitanter ad flammam reſtinguendam concurritur, ipſiq; ciues vel periculi metu, vel magiſtratus, certorúmue hominum (ditiorum præſertim, quibus infenſi ſunt) odio, ſpectant ocioſè non reprimunt ignem, aut denique ſuæ ipſorum ac publicæ ſalutis immemores, de exportanda potiùs ſupellectile quàm igne reſtinguendo cogitant. Quod cùm fit, minimè mirum, vrbes aliquando funditus deleri. At viderint tales, quomodo ipſos & leges, & ratio, & ipſa denique conſcientia excuſet. In aquis periclitantem qui cum poſſet, non ſeruat, aſperis moribus, ac inhumanus vulgò etiam haberi ſolet: Et iudicia hominum cenſuráſq; euaſurũ ſe putat, cuius negligentia vrbs perijt?

Quo loco ſilentio prætereundum non eſt, incendijs huiuſmodi Satanæ rabiem vt plurimum ſe immiſcere. Virium enim animorúmq; noſtrorum imbecillitatem exploratam habet, eosque incendijs terreri plurimum, & ad reſiſtendum citò & facile nouit langueſcere. Idipſum ſacræ literæ, omniúmq; temporum hiſtoriæ euincunt. In paſcentes Hiobi greges igneam pluuiam è cœlo, (vt ſcriptura loquitur) hoc eſt, ſuperioribus aëris partibus iaculatur, eóſq; cum pecorum magiſtris internecione delet. Schiltacum ducatus VVirtembergenſis oppidum communis ille omnium hoſtis incendio per veneficam ſuſcitato, totum flammis abſumſit. Idem (Auentino referente) in villa Camontina ad Rhenum caſulas ruſticorum cum horreis, frumenta item in aceruos ruri compoſita exuſsit. Et, quæ execranda ipſius malitia eſt, vel hodiè, quò dies iudicij propior eſt, cò laborat impenſius, vt ſurſum deorſum voluat & vertat omnia, mala ex malis nectat, hominéſq; ad extremas miſerias adactos, in dubitationum atque impatientiæ voragines cum præſentiſsima fidei iactura agat præcipites. Errant igitur, qui huiuſmodi euentus terribiles ad cauſas naturales in ſolidum referendos arbitrantur, præſertim, ſi per incuriam incendia ijs locis orta ſint

quæ pabulum ignibus ſubminiſtrant, vt ſunt ſtuppa, axungia, ligna, ſarmenta, tegulæ ligneæ, lana, fœni & ſtipularum aceruí, & ſimilia: ſi excubiæ ſolutè & oſcitanter agantur, hominumque ſtupor & conſternatio accedat, vt attonitis mentibus, in conuaſandis reculis (vt dictum) occupentur, flammam ſegniter reſtinguant.

Verùm conſtans piorum ſententia eſt, iſtiusmodi incendia, vt maximè illorum cauſæ dari in natura poſsint, præſciente tamen naturæ authore DEO fieri, quem nec quidquam fallit, nec cognitionem eius, æternâ ac nulli hominum ſcrutanda ac peruiâ ſapientiâ ſubnixam, quidquam præuerrit, imò nec ſciente ſolùm & coràm intuente quæ accidunt, ſed & permittente, & limites ſtatuente, quouſque graſſari velit ignis violentiam: denique ad finem ſalutarem & vtilem cladem dirigente, vt vel in pœnam & correctionem cedat impijs, vel in probationem pijs, quorum conſpectior hoc pacto reddi ſolet vera & infracta in Deum fides, ſpes, tolerantia, in proximum charitas: quæ alioqui vel in pijs languent, cùm ex voto ipſis fluunt omnia. Ea enim Dei & bonitas & ſapientia eſt, vt malum fieri non permitteret, niſi bonum aliquod, ſuæque naturæ congruum opus elicere, & id quod ſuapte natura malum eſt, in bonum conuertere noſſet. Dicam apertius: Deum ab huiuſmodi caſibus quicunque remouet, is, non dico, temerè agit, ſed parùm piè. Nam aut ipſe eos excitat (vt cùm primum mundum aquis, Sodomam igne, Chananæos ferro, Hieroſolymam fame, peſte, flammis & armis vaſtat) aut per homines, ſpiritúſue malignos, ſuo quodam conſilio eos fieri permittit (quemadmodum ex Hiobi & Dauidis hiſtoria patet) aut denique ijs, quæ bona atque vtilia ſunt, vim, virtutem, firmitatem, robur atque auxilium ſubtrahit, vt ab ipſo derelicta fieri mala poſsint, aut omnimode ruant. Sic enim vox diuina:

Digitized by Google

uina: *Ego Dominus, inquit, & non eſt alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc.* (*Eſa. 45.*) Cuius dicti euidentiâ motus Auguſtinus, mala quædam eſſe pronunciat, quorum author Deus eſt, non quòd ad peccandum homines decreto impellat, aut peccatum in ijs quoquo modo operetur (perfectæ is enim & ſincerißimæ bonitatis eſt, quæ nec vult, nec probat, nec iuuat peccatum) ſed quòd ea, quæ peccatis debentur, pœnas ſcilicet, iuſto quodam iudicio, nunquam non conſilio certo immittat. Hoſeæ 5. inquit Deus: *Ego quaſi tinea & leana Ephraim, & quaſi teredo, & catulus leonis domui Iuda. Ego, ego rapio & vado & tollo, & nemo eripit. Thren. 3. Quis eſt iſte qui dixit, fieri aliquid Domino non iubente? ex ore altißimi non egredi nec bona nec mala? Hoſea 2. Vaſtabo vineam eius & ficum eius, ponam eam in ſyluam.* Et rurſus: *Vaſtabuntur, quia præuaricati ſunt in me.* Amos Propheta cap. 3. ἐν θέσει pronuncians *Num quid malum (inquit) in ciuitate eſt, quod Dominus non fecerit? Iudic. 2. Quocunque pergere volebant, manus Domini ſuper eos erat & vehementer afflicti ſunt, Eſa. 9. Adhuc manus eius extenta:* cuius quidem tremenda grauitas fusè & graphicè pingitur, Deut. 28. cap.

Hinc adeò pœnæ illæ in ſcripturis dies viſitationis, Retributionis & vltionis vocantur; vtrumque enim, & viſitare & vindicare Dei vnius officium eſt. Idque exempla comprobant eorum, qui pœnis ſubiecti, ad Deum, tanquam principium & fontem eas retulerunt. Naëmi viduitatis & inopiæ cauſam Deo tribuens, *Amaritudine, inquit, valdè repleuit me omnipotens.* Hiob ille ſanctus & integer Dominum abſtuliſſe dicit ea, quæ Chaldæi & Arabes eripuerant, Ionas in mare demerſus, *proiecisti me, inquit, in profundum.* Dauid de Simei loquens,

Dominus, inquit, præcepit ei, vt malediceret Dauid. Improbum videlicet erat, & inter peccata non minimum, conuitijs Regem inceſſere, ac proinde minimè à Deo, ſed ab immundo ſpiritu ortum, conſentiente in eius impulſum conuitiatore Simei: Veruntamen videt in ſpiritu propheta, finem conuitij à Dei diſpenſatione profectum, nempe, vt in caſtigationem cederet ei qui deliquerat.

Finis quidem rebus in natura propoſitus eſt, vt in mortalium vſum ſe ſuaque omnia impertiant, idq; ſtupendo quodam obſequio tamdiu præſtant alacres, quandiu diuerſum non ſtatuit opifex, à cuius voluntate pendent. Rurſum verò ad illius nutum, vim & tyrannidem exercendo peccantes atrociſsimè perſequuntur, ne hilum quidem proficiente vniuerſa hominum cura atque conſilio, quo depulſuri vim illam videbantur. Tertullianus, vel ad ſolum & tacitum Dei arbitrium (inquit) & ſeruiunt & adſunt omnia (lib. de Trinit.) videatur Eccleſiaſticus à verſu 30 ad finem vſque capitis 39. Exemplo patria eſt, in qua multa fuiſſe, quibus intercludi ac frangi flammarum vis poterat, in confeſſo ijs eſt, qui oppidum αὐτοπροσώπως ante cladem acceptam penitius introſpexerunt: Viæ publicæ laxæ erant & copioſæ: ipſa ciuitatis loca à ſe inuicem diſsita, & tam colliculis quàm valleculis ſeiuncta, ædificia plurima è viuo ſaxo conſtructa, quibus tecta inſidebant è cocto partim lapide, partim fiſsili, quemadmodum templo & turris faſtigio ex laminis æneis: hortorum frequentia: aquarum copia: ciues ad flammam reſtinguendam prompti. Ad quæ porrò acceſsit, quòd ventorum flabra emergentem initiò flammam, ad extrema oppidi depulſura videbantur. Quibus omnibus cùm non modò nihil opis allatum ſit, ſed vel aduerſo vento flamma in ſubiectas ædes rapido motu incubuerit, fateri ſanè oportet, non tam fato-

rum

rum violentiæ, aut cauſis naturalibus, quàm Dei conſilio incendium iſtud magna ex parte deberi.

Atque hic iam quæſtio enaſcitur, quibus cauſis inductum ſupremum numen tantis cladibus vrbes afficiat? Id verò obſcurioris paulò indaginis eſt. Nos rem ita extricabimus, ſi ſcripturæ filum ac fidem ſecuti infallibilem, tria potiſsimum à Deo ſpectari ſtatuamus: pœnam, probationem, Exemplum: pœna ad malos ſpectat, contumaces & præfractos, probatio ad pios, Exemplum ad cunctos.

De punitione ſeu pœna Syracides, cuiuis, *inquit, rependetur, vt eſt promeritus, non effugiet impius cum ſua impietate, in plateis ciuitatis vindicabitur. Sapient. 5. Induet pro thorace juſtitiam, & accipiet pro galea judicium certum, ſumet ſcutum inexpugnabile æquitatem, acuet iram in lanceam. Eſa. 42. Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit Zelum, tacui ſemper, ſilui: nunc autem vt parturiens loquar, diſsipabo & abſorbebo ſimul. Pſalmo 11. Impium* (*inquit Propheta*) *& diligentem iniquitatem odit anima ipſius, pluet ſuper impios laqueos, ignem & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eius. Ierem. 18. Repente loquar aduerſum gentem & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruam & diſperdam illud. Eſa. 50. Omnes* (*impij*) *quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos. Hoſe. 8. Mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit ædes. Amos 9. Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans, & conteram illud à facie terræ. Deuter. 32. Sagittæ meæ conficient ipſos. Pſal. 73. Deiecisti eos in interitum, facti ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam. Ierem. 51. Portæ eius excelſæ igni comburentur.* Vberior & acrior comminatio extat Deuter. 28. De probatione hæc ferè dicta loquuntur. *Eſa. 48. Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum, elegi te, probum & electum te reddo in camino tribulationis. Pſal. 34. Multæ tribulationes juſtorum, & de omnibus his liberauit eos Dominus. 1. Pet. 4. Iudicium à domo Domini*

 inci-

Incipit: Prouer. 3. Ebr. 12. Quem diligit Deus, caſtigat. Pſal. 66. Probaſti nos Deus, igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum, induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in humeros noſtros. Pſal. 118. Caſtigans caſtigauit me, ſed morti non tradidit me. Pſal. 75. Deus judex eſt, qui hunc humiliat & hunc exaltat: quia calix in manu Domini, vino rubicundo infuſo plenus, & effundit ex hoc, veruntamen feces eius ſugent & ebibent omnes impij terra. De exemplo Chriſtus Luc. 13. concionatur, inquiens: *putatis, hos Galilæos præ omnibus Galilæis peccatores fuiſſe, quoniam talia paſſi ſunt? Non, dico vobis: imò niſi reſipiſcatis, omnes ſimiliter peribitis.* Exemplo res fiet dilucidior. Geneſ. 19. Sodomæ pereunt: pari propemodum infortunio Sicelech concutitur, in qua rerum & fortunarum ſedem Dauid locarat profugus (1. Reg. 30.) Hanc enim milite & armis nudatam inuadentes Amalechitæ, tectis vaſtatis incenſiſque, prædam imbecillioris ætatis & ſexus ingentem abigunt. Quid hîc diſsimilitudinis? Multum certè, non in euentu; vtrobique enim ἐκπύρωσις (qua voce Clemens Alexandrinus vtitur) hoc eſt, exuſtio & inflammatio eſt, ſed fine, ad quem euentus ille tendebat. Illic vltrices flammæ graſſantes ſpiritum incolis cum perditiſsimis moribus intercludebant: Hîc verò damnum ex incendio ortum, fidem Dauidis eorúmque, qui eadem cum ipſo belli auſpicia ſequebantur, explorabat, militare ſimul robur exacuens, quodque palmarium fuit, in protegendis ac liberandis mirabiliter electis, curam Dei paternam ac prouidam, velut ſigno ſublato ſpectandam omnibus exhibebat. Interim verò Sicelechi excidium Saulem à tyrannide, quam in Dauidem, ac ſummi Dei ſacerdotes nefariè exercebat, retrahere debuit, Sodomorum autem ac Gomorrhæ ſubuerſionem exemplum (ὑπόδειγμα) facit Deus his qui impiè forent acturi, 2. Pet. 2. Ex quo iam cõficitur, triplicem in incendijs ac cõſimilibus cladibus finem quæri oportere, Aut enim exercendis in fide, precatione, toleran-

tia,

tia, pietatis virtutisq; cultu pijs ſeruiunt: aut alijs exemplum præbent: aut denique iuſtas pro hominum impietate pœnas expoſcunt.

In pœnis exigendis vnius interdum aut paucorum delicta Deus vindicat, præſertim, cùm ingens enormitas mitiſsimum ipſius animum acriùs irritauit. Sunt in promptu exempla. Hemoris vrbs & familia ob violatam Dinæ pudicitiam cædibus & rapinis vaſtatur. Furtum Achan populo victoriam eripit. Pauci Beniamitarum Leuitæ coniugi ſtuprum inferunt, vrbs tota cum omni penè tribu excinditur. Filij Heli pauci numero, ſed multo ſcelere cooperti exercitum hoſti laniandum obijciunt. Abſolonis veſaniæ debetur, quòd cædibus omnia & iniurijs miſcebantur. Dauidis, ſummi alioquin viri inſolentia morte plurimorum multatur. Rehabeami ſæuitia decem tribuum defectione vindicata eſt. Adeo verum illud Heſiodeum, πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρός ἐπαυρεῖ, vnius ob crimen pœnas vrbs tota rependit. Gentilia ſi reſpiciamus, Helenæ raptus Troiam deleuit, agros ſtrauit cadaueribus. Argiuorum claſsis vndis hauritur

Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei. Spartani iuuenes patriam armis & legibus florentem, puellarum quas per vim ſtuprarant, cæde, perdiderunt. Nec dubium eſt, multis etiamnum ciuitatibus, prouincijs, regnis, paucorum impietate interitum afferri. Peccatis enim & ſemper, & citra hominum reſpectum Deus iraſcitur; Neque enim dari quid poteſt, quod perfectiſsimæ eius ſubſtantiæ magis ſit aduerſum. Aliquando pœnis & vindictæ plures inuoluuntur, veruntamen aliquo cum diſcrimine. Luunt enim propriè pœnam, qui malefactis eam ſunt commeriti: cohibentur verò qui pari & ipſi culpa ſe obſtringerent, niſi pœnæ ſocietate à peccando auocarentur. Illa τιμωρία eſt; τοῦ ποιοῦντος ἕνεκα, hoc eſt illius gratia, qui improbè egit,

egit, hæc verò *κόλασις τοῦ πάσχοντος ἕνεκα*, ratione illius qui pœnam eandem ſubit, ſuſcepta Vtraque ſummè hodie neceſſaria. Quod enim inde vsque ab hominum memoria dari tempus poteſt, moribus æquè corruptum ac perditum? Quod turpitudinis ac flagitij genus non exercet infelix hæc ætas, qua *accenſa inter omnes velut ignis impietas eſt* (*Eſa. 9.*) Dei metu extincto ſecuritas palàm inualeſcit, & cum hac fiducia rerum humanarum, ſimulata pietas, hypocriſis, precum neglectio, execrationum diræ, periuria, incantationes, veneficia, verbi ac miniſtrorum contemptus, tetra & multiplex Sabbati profanatio, hæreſes & erronea dogmata, verbi cœleſtis deprauatio, charitas extincta, contumacia in parentes, magiſtratum & quosuis ſuperiores, diſsidia, offenſiones, pugnæ, gula, helluationes, crapula, ſublatus in plerisque pudor, amor voluptatis, libidinum portenta, faſtus immoderatus, nouitas prodigioſa in moribus, in veſtitu, in cibis, in vitæ totius cultu, immodeſtia, furta, rapinæ, agrorum depopulationes, exactiones, patrimoniorum proluuia, prodigalitas, ſtudium cumulandarum opum, auaritia, & ex hac efflorescentes impoſturæ, fraudes, mercium corruptelæ, menſurarum decurtatio, in pauperes ἀστοργία, annonæ flagella, inuidia, obtrectatio, calumniæ, iudicia corrupta, miſerorum oppreſsiones & ſimilia. Quæ omnia cùm ad ἀκμὴν peruenerint, multisq; hodie ciuitatibus, terris, populis, ſiue Romanam ſiue Chriſti fidem ſequantur, communia ſint, ita quidem vt in ſacris propemodum habeantur, quemadmodum de Epimenide quodam priſco proditum eſt, impudentiæ ipſum & contumeliæ aras Athenis erexiſſe, ecquid mirum videtur, pœnis vrbes, prouincias, loca, regna vndique flagrare? Iampridem teter & in maligno poſitus hic mundus, diris ac deteſtandis confuſionum formis ſuſceptis, in nouam quandam Babylonem ac Sodomam tranſiit, triplici igne flagrantem: peccatis videlicet, quæ ad cœ-

lum

ſum clamſtant, ac mucrone flammeo eius vertices pulſant ac feriunt. Deinde igne iræ Dei, quæ per dira oſtenta ac prodigia in aëre, aquis, terris, animantiúmque corporibus ſe paſsim exhibet. Poſtremò pœnis, quarum exempla vbiuis locorum & multa & grauia occurrunt. Quæ omnia niſi vitam in melius inſtituerimus, ignis tandem vltimus excipiet, qui ſubuerſis deletiſque quæ mundus appetit omnibus, accepta ſeuerisſimi iudicis ſententia, igni inextinguibili, ac diris gehennæ vſtulationibus impios traditurus eſt.

Diſcrimine ſic conſtituto, facile nunc eſt iudicium ferre de ruina, quam patria perpeſſa eſt. Nam & peccata vltum fuiſſe diuinum numen credibile eſt, & piorum ſimul fidem, ſpem, conſtantiam hoc tribulationis igne probare voluiſſe, omnibus denique exemplum ad vitæ correctionem reliquiſſe. Peccata cùm dico, non ea ſolummodo accipi volo, quibus in patria multi dediti fuerunt, ſed quæ, modò vt dictum, per omnes terras veluti gangræna ſerpunt, adeóque etiam ad patriam, morbi peſtiferi inſtar, tranſierunt. Abſit enim, vt immunem eam à vitijs fuiſſe prouinciem. Quin multos fuiſſe, atque etiamnum eſſe, ex vulgi præſertim fece ſtatuo, qui numinis reuerentia ac metu excuſſo, verbi ac miniſtrorum contemptu, execrationum diris, ingluuie, libidinum ſordibus, ſecuritate, animi tumore, aliiſque huiuſmodi delictis ſunt conſperſi. Idem tamen ſtatuo, loca & plura & celebriora paſsim extare, quæ his ipſis vitijs (abſit dicto inuidia) multò vrgentur grauius. In patria enim exhortationes, magno partim ſpiritus ardore, partim lenitate, à fideliſsimis verbi diuini præconibus ad populum, vt & locis alijs plurimis, creberrimè factæ ſunt: digna & laudabilis fuit in tuenda honeſtate & diſciplina magiſtratus pij ac prudentis ſolertia, cui propoſitum ſemper fuit τῇ πόλει (vt Græci inquiunt) λυσιτελεῖν, hoc eſt Reipublicæ conſulere; laudanda magiſtrorum in ſcholis aſ-

ſiduitas: nec improbanda ad victum parandum, puberum iuxtà & impuberum in opere faciundo conſtantia, idq; partim ob venarum metallicarum ſterilitatem, partim ob difficultatem annonæ, qua loca montana, annis aliquot proximis grauiter premuntur. Addo fortunarum in multis, viduis præſertim, quarum ingens numerus, tenuitatem, orphanorum qui alendi matribus ſunt, multitudinem. Quæ omnia eiuſmodi profectò ſunt, quæ à peccando vel cunctantes queant retrahere. Ac ſpes certè eſt, multos hiſce occaſionibus ad vitam rectè beneq; inſtituendam fuiſſe pertractos, licèt non negem, fuiſſe nonnullos, qui cùm dignitate ac opibus florerent, plus æquo duriores in turbam egenam ac miſeram ſe præbuerunt, ij præſertim, qui mercaturam facientes è pauperum incommodis ſuum parare ſtuduerunt commodum, fruſtra monente ac perterrente eos Dei ſpiritu. Sed & hoc minimè quidam probandum putant, quòd fodinis relictis, è quarum fœcunditate ciuitas non ſua ſolum, anno ab hinc 108 primordia, ſed & incrementa hauſit, ad merces parandas & diſtrahendas plerique ſe verterunt, & eas quidem, quæ non tam neceſsitati ſeruiunt, quàm ad comptum corporis & ornatum faciunt, ſuntq;, abuſu accedente, quodammodo laſciuiæ irritamenta.

Quorſum hæc, inquis, tam multa? Nempe vt conſtet, cauſam minime defuiſſe, cur ciuitati Deus iraſceretur, eiq; pœnam hanc, ſuo quodam conſilio irrogaret. Deinde, vt ſciatur, correptionem quæ multis debebatur, in vnum hoc oppidum ipſo hoc tempore irruiſſe. Idem enim Deus facere conſueuit, quod belli Imperator ſolet, qui exercitu delinquente, gladium vltorem in paucos ſtringit, vt ad ſanitatem omnes retrahat: Idem quod Magiſter bonus ac ſolers, qui è ſcolaſticorum turba vnum ſæpe exemtum pœnis coërcet, vt cauere ſibi ab immodeſtia ſtudeant reliqui. Pij interim quos patria, Dei

bene,

beneficio, haud paucos habet, de tribus moneri ſe norint. Primò, quòd infirmitates & næuos ipſi quoque ſuos (ut quiuis noſtrum) habeant, ſintque, vt maximè ἀνέγκλητοι videantur, coram Deo tamen ſuis & ipſi vitijs obfuſcati, vt proinde velut columbæ deerrantes (Hoſ. 7.) ad morum emendationem, acriùsque inſiſtendum pietatis curſum (qui plerunque ſecundioris fortunæ flatu torpet) ſe conuertant. Deinde, vt ſe iam nactos putent, in quo fidem, dilectionem, ſpem diuini auxilij, tolerantiam, charitatem in proximum, concordiam, precum ſtudium, humilitatem exerceant. Poſtremò calcar ipſis hoc addat, vt quoniam minimè cum optimis viuunt, ijsdémque malorum tempeſtatibus cum ijs iactantur, mentis oculos attollant, ſeque è vitæ huius carcere ereptos, ad beatiorem alteram euocari quotidianis ſuſpirijs exoptent. Iam & finitimæ ciuitates, regiones, prouinciæ quod diſcant, reperiunt, pœnas ſcilicet pridem ſe multas & atroces commeruiſſe. Ceſſant hæ quidem, verùm id Dei vnius longanimitati, miniméque vel hominum probitati, quæ perexiguis limitibus circumſcepta eſt (licet negari non poſſit, multos vbiuis locorum pios ac bonos eſſe) vel ſplendori, potentiæ ac firmitati, quæ efferueſcente numinis ira, ſtipulæ in morem, ſiue vt Eſaiæ 10. dicitur, *velut auiculæ nidus* euaneſcit, acceptum ferant, eius non immemores, quod Baptiſtæ vox innuit: *Iam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt, Omnis ergò arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur*, Matth. 3.

Siue igitur per incuriam, quod arbitror, ſiue per incendiarios flamma exarſerit, dubium tamen non eſt, vim ipſi acriorem a Deo inditam fuiſſe. Qui cùm ignis conſumens ſit (*Ignis Tertulliano teſte*, Deus dicitur, vt peccatori populo metus inutiatur, dum iudex iratus oſtenditur) facile ei atque expeditum eſt, flammas ſiue in aëre, ſiue in terris, in hominum perniciem ſtruere, aut vires occultè ſubminiſtrare, ita, vt qui oppida, vr-

Digitized by Google

bes, villas ignis depaſcitur, non tàm fortuito, pérq; homini m[illegible] ſiue imprudentiam ſiue improbitatem excitatus, multóq; [illegible]nus ἐμπυρισμός γεγοητευμένος hoc eſt, incantatione aut imp[re]cationum diris exacerbatus, quàm diuinæ vltionis afflatu [ve]l ut turbine quodam (Sap. 5.) irritatior & pernicioſior factus fuiſſe putandus ſit. Sic enim Num 11 legitur: *Cùm populus eſſet impatiens, diſplicuit auribus Domini, idq; audiens concepit iræ ardorem, à quo accenſus eſt ignis Domini inter eos, qui conſumpſit extremas partes caſtrorum.* Atq; huc facere illud videtur, quod Sap. 5. expreſſum legitur, *armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* In more videlicet poſitum eſt ſummo omnium Imperatori Deo, vt quos ad pœnam pertractos vult, moneri prius per verbum, aut portentis in aëre, aquis, terra euenientibus, terreri ſinat. Neq; enim, vt animi vir impotentis gladium eueſtigio in offendentem ſtringit: nec vt ſerpens irritatus morſum peccantibus ſtatim infigit, ſed ictum eminus oſtentat, apertè innuens, ſe non tam ea quæ minatur, exequi, nocendo ipſis, velle, quàm timore incuſſo impetum ad peccandum reprimere, monſtrando ipſis, qualia paſſuri ſint, ſi peccatores eſſe perſiſtant. Quod ſi ſpretis cohortationibus ſecuri ac improbi eſſe pergant, tum verò iræ habenas acrius laxat. Idq; palàm aliquando & apertè. Et tunc, vel incendijs, vel inundatione vrbes pereunt, aut doctrinæ corruptelis, bellis, fame, morbisue populariter graſſantibus prouinciæ vrgentur, aut infeſtantur beſtijs, aut viri præclari qui ad clauum ſedentes rebus communibus multum profuerunt, abſque euidenti cauſa ſubitò per mortem abripiuntur. Aliquando occultiùs excandeſcit, cùm aut pœnas differt impœnitentibus, aut in vitam alteram vltionem reijcit, non abſq; ingenti ac certa ipſorum pernicie. *Iræ enim ac pœnæ grauiſſimæ τεκμήριον eſt non puniri à Deo*, ſicut contrà feliciores ſunt improbi ſupplicia luentes, quàm ſi nulla eos iuſtitia.

iuſtitiæ pœna coërceat. In priori *vrſo ac leoni*, in altero *aucupi* Deus comparatur, Amos 3. Hoſ. 4. Thren. 3. Diſcant ἄθεοι & palàm impij, quorum fibræ nullo religionis ac numinis metu tanguntur, quàm tremendum olim iudicium ſubituri ſint. Lentè enim, vt videtur, ac remiſſè Deus in hac vita iraſcitur, vt die ſupremo acrius in ipſos ſæuiat: at contrà rigidius indignatur ijs, qui ex verbo patefacto ſanctiſsimam eius voluntatem agnoſcunt, & ad eius tamen normam ſe & vitæ actiones non conformant. Illic vt ſervis Dominus lentè, hic vt pater beneficus acerbè & acriter filijs iraſcitur. Et tamen dura hæc patris caſtigatio fauore ſemper & miſericordia tincta eſt, dum contrà pœna quæ impijs irrogatur, licet in hac vita minimè exæſtuet, ad extremum tamen ira & furore terminatur vt *tanquam lutum platearum deleantur, Pſalm. 18.* Videant ad extremum ij, qui oppidi illius habitatores immodeſtè & piè parum traducunt, ſubductâq; ex euentu ratione, neſcio cuius vel impietatis, vel profanitatis communiter reos agunt, atq; adeo vngue liuido in vlcere ſæviunt, videant inquam, ne dum iacentibus inſultant, ipſi quoque prolapſi iaceant, & varia alijs de ſe iudicandi & commemorandi occaſionem præbeant.

Non inficiantur ciues, peccatis prouocatum numen hanc pœnam immiſiſſe: idq; pietatis pariter & Chriſtianæ prudentiæ indicium eſt. Pietatis quidem, quòd Deum offenſum placare & flectere cupiunt vera animorum pœnitudine: prudentiæ autem, quòd ad percutientem verſi (Eſa. 9.) vitam partim in melius inſtituunt, atq; vt Hoſeæ verbis vtar, *in iuſtitia ſeminant & noualia iunouant:* partim fidem, ſpem ac patientiam, per hunc tribulationis ignem Deo approbare nituntur, minimum fiduciæ in terrena illa, hoc eſt, fluxa, incerta, dubia, lubrica collocantes, cùm temporis puncto pereant, ſuóſq; dicto citius deſtituant poſſeſſores. Quod dum faciunt, id lucri repor-

des attigit, eo præſertim tempore, quo crudus & recens dolor medelam aut non inuenit, aut inuitus admittit. Fit enim plerumque, vt incendij calamitas mortiferi teli inſtar, animos & penetret altius, & dolorem ægrius deponi ſinat. Vulneribus, dum ſpiritu ſubeunte calent, medicina ſubuenit: At quæ huiuſmodi è caſibus ægritudo oritur, temporis maturitate molliẽnda prius eſt, quàm ad conſolationes deſcendatur. In patria certè haud paucos fuiſſe intelligo, quorum ita animos dira hæc fregit tempeſtas, vt omni ad conſolandum aditu præcluſo, vrbem ipſam relinquendam putarint. Grauis verò & indigna vox, ab ijs præſertim profecta, quibus tantum bonorum incendium reliquit, vt tecta inſtaurare haud difficulter poſsint. At fieri plerunque ſolet, vt quò magis opibus quidam affluunt, aut parandis ijs grauius ſunt addicti, tantò ægriùs eas amittant, multóque impatientius per mortem deſerant. Ego cùm pijs & bonis ſic ſentio, eos, qui cùm poſsint, reſtituere tamen tecta ſua omittunt, vix euadere quin ſe grauiſsimorum criminum reos agant. Nam vel impatientiam & fremitum aduerſus Deum hoc ipſo indicant, vel certè diffidentiam & deſperationẽ, de præſenti & optabili eius auxilio. Omni ſtudio his obſiſtendum, conandúmque vt alterũ tolerantia frangat hoc firma & infracta animorũ fiducia corrigatur. Vnúmque eiuſmodi eſt, vt vita Chriſtiana ſine ijs conſtare nequeat. Sunt enim diuinæ agnitionis & fidei fructus. At contrà inſtructus hiſce virtutibus animus difficultatem, quæ in vrbis inſtauratione obijcitur, facilè omnẽ dimouebit, imprimiſque ſi reliqua ſibi ob oculos ponat, quæ ad vrbẽ reſtituendam ſtimulos queant admouere. Quis enim neget, vrbẽ eo in loco inſtaurandã, in quo tot añis fuit, & quidem locis plurimis non incelebris. Vbi noualia & vineã ſuã Chriſtus habuit, ſum̃a cura excultam & com̃unitam, è qua multæ & copioſæ plantulæ prodierunt, domi foriſque fructum ferentes, & ſuo tempore cœli hortulis inferendæ. Vbi politeia viguit legibus cõſtituta

ſtituta & florens, ſchola celebris, quam multi exterorum adi-
re perhonorificum ſibi duxerunt. Ad quæ porrò accedit, quòd
venæ ſubterraneæ nondum ita exaruerunt, quin vberem pro-
uentum (dum̃odo maiori ſtudio excolantur) poſsint refundere.
Quòd commerciorum gratia haud exiguus è Germania, Belgi-
co, Auſtria, Styria, Transſyluania, Pruſsia, Panoniæ & Po-
loniæ regnis, Scotia, Sabaudia, vt & Vegetia Valle, ad vrbem
fuit concurſus, qui, vt ſpes eſt, haud temere aliò ſe flectet.
Quòd intra oppidum nec ædificiorum loca, licet (vt ſcripturæ
verbo vtar) Tabeêra ſint, cum tot paſsim viridarijs, hypogæis,
ac bene inprimis iactis plurimarum ædium fundamentis deſe-
renda, nec extra vrbem agri, horti, paſcua, prata, relinquen-
da ſunt. Inprimiſq; quòd cùm magiſtratus, tum ciues, è qui-
bus omnis ciuitatis perfectio conſtituitur, per ſummum Dei
beneficium, vitâ adhuc incolumi fruuntur, animiſq; (vt ſpero)
& ſententijs iuncti ſunt, vnum illud indubiè ſtudio habentes,
vt quos dira tempeſtas hæc corporibus ac fortunis diſiunxit, ij
in priſtinos veluti alueolos poſt liminio colligantur. Eamq;
ad rem animos ipſis cùm alia addant non pauca, tum iſtud maxi-
mè, quòd haud exigua circa vrbem oppidulorum, villarum,
poſſeſsionum, prædiorum frequentia eſt, quæ ciuitate carêre
minimè poſſunt, cùm annonam iſthuc conuehant ac res neceſ-
ſarias ære ibidem comparent. Quòd inclyta hæc prouincia
vrbe haudquaquam diminuenda eſt. Quòd mœnia illæſa ſunt,
templúmq; inprimis magnificum, licet tecto careat, ſuis tamen
adhuc conſtat partibus. Quæ res vel ſola (neq; enim dico, in-
ter omnes quæ incendijs vaſtatæ vrbes ſunt, vix vllam dari
poſſe, quæ non inſtaurata ſit) ciuium animos ad ædificiorum
reſtitutionem animare poterat, præſertim cùm in eo quod mo-
dò diximus Templo feſtis diebus ſumma populi frequentiâ,
magno pietatis affectu, nec minimo ſplendore, ſacra ſemper
celebrata

celebrata ſint. Sed & hoc animum ipſis addet, quòd pro vrbis inſtauratione vota ad Deum fiunt quotidie, qui ſuſpirijs ſuorum ſi annuet (vt certò annuet) ecquis dubitare velit, futurum aliquando, vt ſplendor ciuitati priſtinus reſtituatur? Sed nec princeps ſereniſsimus ciues neglectui habet, ſed liberali & regia quadam munificentia, ruinâ vrbis proſtratos iuuat & erigit. Magna igitur animorum fiducia, magna contentione, opus in ſpeciem quidem arduum, ſed pulchrum tamen aggrediantur, minimè dubitantes, quin quod in reædificandis tàm priuatis quàm publicis ædificijs cùm princeps, tùm ſenatus vrbis & ciues moliuntur, non authore ſolùm, ſed adiutore in omnibus Deo ipſo geratur.

Viam his ſternere volui ad conſolationes, quæ Patriæ habitatoribus, acceptâ funeſtâ hac clade, debent eſſe propoſitæ. In harum igitur patentes campos dum excurro, delibanda potius quàm fusè perſequenda arbitror præcipua illarum capita & momenta.

Ac primum quidem conſolationis genus is nobis ſuppeditat, qui Patèr gloriæ cum ſit, hoc eſt, is, cui gloria omnis competit, quique gloriæ eius, cuius nos in Chriſto ratione υἱοθεσίας participes reddimur, principium, fons & author eſt, ad noſtram tamen imbecillitatem deſcendens, miſerationum patrem ac Deum omnis conſolationis ſe appellat. Huius ſcitu primùm & permiſſu factum ciues meminerint, quidquid dirum ipſis ac funeſtum accidit, *quis enim iſte qui dixit, fieri aliquid domino non jubēte?* Thre. 3. Et quis eſt qui ignoret, in vitæ huius ærumnis citra Dei prouidentiam nihil homini euenire? Cùm nec paſſer cadat ſuper terram abſque voluntate Dei, homo verò multis paſſeribus melior & præſtabilior ſit, Matth. 10. At permiſſum in Deo nec ſtatuimus nec credimus, niſi à cauſæ alicuius conſideratione ortum, & ad finem vtilem directum ac de-

ſtinatum. De cauſis ſupra dictum eſt; finem autem in i
borum partim correptione, partim bonorum exploration
tim denique in exemplo conſiſtere diximus. Quæ cum
ria omnia ſint, haud parum ponderis ad recreandos anim
bere debent. Ciuem nobis proponamus qui ob delict
Principem admiſſum, bonis priuatur. Quo animo hu
exiſtimas? anguſto, nec prorſus tamen abiecto: Licet
pauperies ipſi ob oculos, principis tamen voluntate info
um iſtud ſe ſubire intelligit; Ita qui Dei ſcitu aduerſa ſib
nire cernit, vt vt ferendo grauia ſint, haud parum tamen
ſe ſentit alleuari. Deinde extra dubitationis alea
quæcunque in hac mortali vita amittimus, non tam noſt
quàm liberali Dei munificentia conceſſa, quæ ob id tar
ἀλλότρια ac ſua à nobis repetit. Quod cum Spiritus ſac
ſuggeſtione videret vir ille ſanctus & integer, *Dominus,*
dedit, Dominus abſtulit, Iob. 1. Adde, quòd commu
omnium pater, altor & opifex, cumulate reddit, quod c
certo prius ademerat. Vtque pœnas nobis infligens *ma*
commendatur in iuſtitia, ſic damnum factum reſarciens *be*
celebratur in gratia. Hiob iterum exemplo eſt, qui dupl
recipit, quam perdiderat. Ac res docet, non eos ſolum
qui incendia ſoli aliquando & priuatim ſuſtinuerunt, ſec
tas ſæpe villas ac oppida flammis conſumpta, opibus plu
creuiſſe. Adeò Deo ſemper proprium eſt, iacturam ſi qu
cimus, largiendo penſare, præſertim ſi, vt filios decet n
ros, paternam ipſius caſtigationem æquis animis feramu
tientiâ poſsidentes animas noſtras (Luc. 21.) & cum D
exclamantes, *Tibi Domine iuſtitia* (*Dan. 9.*) cum Ieremi
eſt Dominus, quia os eius ad iracundiam prouocaui (ori eius
lis fui, ſurdis auribus ſanctiſsimum eius verbum prætern
cum Dauide, *Bonū eſt mihi Domine, quod humiliaſti me* (

cum Michea, *Iram Domini portabo, quia peccaui ei* (*Mich. 7.*) Iterum cum Pſalmographo, *Iuſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Multa & perſpicua compenſationis iſtius paſſim teſtimonia ſunt: *Poſuiſti* (inquit Pſalmus 66.) *tribulationes in humeros noſtros, tranſiuimus per ignem & aquam* (per omnis generis afflictiones) *& eduxiſti nos in refrigerium. Pſ. 94. conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Ierem. 30. obducam cicatricem tibi, & à vulneribus tuis ſanabo te. Zach. 8. Nolite timere, confortetur manus veſtra, quia hæc dicit Dominus exercituum, ſicut cogitaui vt affligerem vos, & non ſum miſertus, ſic conuerſus cogitaui in diebus iſtis, vt benefaciam Domui Iuda & Ieruſalem, Pſalm. 91. cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. 1. Sam. 2. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Nahum 1. In diluuio prætereunte, conſummationem* (finem) *faciet. 2. Pet. 2. Nouit Deus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem judicij reſeruare cruciandos. Pſal. 46. Deus, noſter ſpes & fortitudo, auxilium in tribulationibus, quæ inuenerunt nos valde. Eſa. 64. Iratus es, & peccauimus, & tamen ſaluabimur.*

Multæ atque infinitæ bonitatis Deus eſt, *miſeretur igitur omnium, quia omnia poteſt* (*Sap. 11.*) Hominum amator eſt, *non igitur deſeret, non derelinquet nos* (*Ebr. 13. Ioſ. 1.*) Bonus & benignus eſt, *peccata igitur remittet confitentibus, ab omni iniquitate emundans* (*1. Iohan. 1.*) Fidelis eſt, non igitur *patietur nos ſupra vires tentari, ſed faciet cum tentatione euentum, vt poſſimus ſufferre* (*1. Cor. 10.*) Inæſtimabilis potentiæ eſt: *poteſt igitur cumulatè facere ultra omnia quæ petimus aut cogitamus, Eph. 3.* Summæ ac perfectæ ſapientiæ eſt, facile igitur ipſi eſt ſic temperare piorum afflictiones, *vt his qui Deum diligunt, omnia ſimul adiumento ſint in bonum, Roman. 8.* Atque hoc ipſum omnium ætatum, locorum, hominũ (credentium inprimis) exempla comprobant. Hiob ille ſanctus, honorum & opum culmine

vno propè ictu ac momento deiectus, valetudine inſuper amiſſâ, duplo (vt modò dictum) recipit quæ amiſerat. Ioſeph ædibus paternis eijcitur, venditur: falsò accuſatus, damnatus, in carcere nullâ ſua culpâ detentus, malorum gurgite ſuperato, ad gubernacula Reipub. tandem admouetur. adeò verum & firmum eſt, quod in verſu dicitur: *Rebus in aduerſis vna eſt medicina, Iehoua Cor patrium, os verax, omnipotênsq; manus.* Dauid Dei iuſſu in Regem vngitur, nec quiſquam tamen diriora paſſus eſt: Pulſus, deſertus, ærumnis iactatus, aditum ſibi ad Regnum non niſi per labores & pericula aperuit. Anna Raguelis filia ignominijs acerbiſsimè notata eluctatur. Eſther Regina cum Iudæis neci addicta, Dei conſilio glorioſè liberata eſt: Iudæi vaſtatâ vrbe captiui abducuntur Babylonem, probris & conuitijs ab hoſte petuntur, omnium iniurijs patent, redeunt in Patriam alacres & vrbem inſtaurant. Eadem ſors eos, quos incendij calamitas attigit, ipſos quoque expectat. Piorum enim fortuna mutari poteſt, Deus mutari ac ſeipſum negare, hoc eſt, à bonitate, clementia, miſericordia, veritate recedere non poteſt. Idem afflictis Deus, qui fortunatis & florentibus: Imò tantò miſeris propior, tantò pronior, benignior & promptior, quantò propiores ſe illi per vota & ſuſpiria in fide facta, reddiderunt: hæc enim ſunt, quæ nos Deo, Deum nobis indiſſolubili nexu copulant. Adde, quòd ſuos quidem Deus corripit, at non in interitum, ſed ad ſalutem; inprimiſq́ue, vt peccatorum illuuie ſublata, cum Mundo non damnentur. Rectè ſcriptura, *Domini flagella*, inquit, *quibus quaſi ſerui corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem noſtram eueniſſe credamus* (Iudith. 8.)

Quo loco illud non prætereundum, quòd ſiue pœnis nos Deus coerceat, ſeu cruci, quæ perpetua fidei ſequela eſt, tradat, ingentium bonorum cauſa in nobis exiſtit, Quis enim neſcit,

multos

multos eſſe, qui his ipſis occaſionibus ad pœnitentiam trahuntur? Deo per Moſen id teſtante, *cùm in anguſtias (inquit) redactus fueris, & irruerint in te hæc omnia nouiſſimis diebus, conuerteris ad Dominum Deum tuũ, & audies vocem eius. Ierem. 31. Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam, percuſſi femur meum.* Aliud nihil incendia, fames, peſtis quàm ignis ſunt, quo peccatorum ſcoria exuritur: Tuba & claſsicum ſunt, quo ad pietatis & obedientiæ ſtudium excitamur, ne tales in vita ſemper ſimus, quales primo ortu fuimus, deformes ſcilicet, corrupti & improbi: Fidem incendia acuunt, vt ad quoſuis tentationum ictus ſimus paratiores, ſicut contrà ocioſâ ac diuturnâ felicitate nihil fidei pernicioſius. Quoties enim nos Satanas aggreditur, Deum nobis infenſum infeſtúmq; exhibens? Quoties mundus premit, falsè pietatem, ſpem, patientiam noſtram ridens? Quoties caro oggannit, Dei curam atque auxilium in dubium vocans? Deus ipſe vultum quandoque à nobis auertit, vt cum Dauide exclamemus, *Repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit, vt quid Domine abſcondis faciem tuam à me?* (Pſal. 88.) Fide itaque fide opus eſt, eâq; non puſillâ, ſed firmâ, ſed maſcula, ſed robuſtâ, maliſq; ac miſerijs induratâ ac probè exercitâ; quæ pro odio gratiam, pro mundi irriſione vt & carnis hæſitationibus ex diffidentia ortis, immotam Dei miſericordis veritatem ac promiſsionum ipſius certitudinem, pro Deo irato eundem nobis in filio placabilem exhibeat, adeóq; in quauis lucta & certamine, malis quæ vrgent omnibus ſuperior euadat. Ne dicam iam, quod eiuſmodi ſiue pœnæ ſiue afflictiones precum ſtudium excitant, ad verbi cognitionem cupidiùs ſuſcipiendam animis, altiúsq; infigendam impellunt, ad vitæ nouitatem ſectandam perducunt, faſtum deprimunt, humilitatem ſuſcitant, bona ſpiritualia, quæ Euangelium offert, iucundiora reddunt, conſtantiam acuunt, deſiderium vitæ beatæ confirmant,

mant,ſpem excitant,cient confeſsionem,veterem hominem,qui iuxta concupiſcentias erroris corrumpitur,ſubigunt. Eas igitur aſpernemur? Minimè: Quin immitti nobis hæc ἀτυχήματα vel fidei potiùs ſuſcitabula petamus, idem facientes, quod ægroti ſolent, qui vel amariſsimum poculum hauriunt, modò humor noxius protrudatur: aut ſi cancroſo vlcere membrum abſumi cernant, vſtiones ac ferrum ſuſtinent, tormenta quæ chirurgi ſectionibus inferuntur, beneficij loco habent, ſalutiſq; ſigna æſtimant, præmijs inſuper hominis compenſant induſtriam ac fidelitatem. Tales qui ſunt, non tam ferre crucem quàm tollere dicuntur Matth. 16. Iſtud enim hominis cuiuſuis eſt, etiam illius, qui crucem odit, & per impatientiam Deo obmurmurat: Hoc verò illius tantùm, qui promptè & auidè non accipit ſolū, ſed rapit & complectitur crucem à Deo impoſitam. Plures ac vberiores, qui ex afflictionibus fructus emergunt, cùm alibi lector videat, tum in aureo illo libello, quem de piorum calamitatibus Eraſmus Sarcerius Annæbergius, magni nominis Theologus, anno 49 in publicum edidit, cùm paulò antè homilias illas ex X. cap. Matthæi depromptas, in ſummo vrbis templo exul habuiſſet.

Dei voluntatem non niſi ex verbo patefacto cognoſcimus: Quocirca poſtquam conſolationes, quas perfectiſsima eius natura ſuppeditat, deguſtauimus: proximum eſt, vt ad eas porrò accedamus, quæ ex verbo eruuntur. Hoc igitur Chriſtum ante omnia exhibet, qui non patientiſsimè ſolùm mala plurima & grauiſsima tulit, ſed ad fortiter ſuſtinendū aduerſa ducem ſe præbuit omni exceptione maiorem. Aeſtum pertulit, vt flagrantes incendiorum, morborum, febrium, miſeriarum ardores reſtinguat: mari iactatus eſt, vt pericula terrâ mariq; adeunda tolerabiliora reddat: famem, ſitim, virium defectum, mortem ipſam ſuo gratiora fecit exemplo. Chriſto igitur tantò

ſimi-

ſimiliores cenſendi ſumus, quantò plus miſeriarum ſuſtinemus. Vitæ ipſi nos quidem conformari oportet, obediendi videlicet ſtudio, humilitate, patientia, precum aſsiduitate, proximi dilectione, beneficentia, rerum terrenarum contemptu, cœleſtium bonorum deſiderio. Verùm quia hominis mens ad hanc ſimilitudinem, in arduo poſitam (præſertim ſi perfectio ſpectetur) minus altè aſſurgit, cruce interim *conformes ipſius imagini reddimur (Rom. 8) ſocietatem paſsionis cognoſcentes & morti eius configurati (Philip. 3.) ſupplentes quod deerat afflictionum Chriſti (Coloſſ. 1.)* Idem verbum nos inſtruit, crucem ſubeundam omnibus, qui Chriſto nomina ſua dederunt, adeò vt qui eam nō tollit, Chriſto indignus putandus ſit. Docet, eam crucis vim & naturam eſſe, vt non modò grauitatis ac diuturnitatis pondere vrgeat, ſed plerumque etiam crucem aliam ex alia nectat. Eudoxia Auguſta Petri catenam Hieroſolymis ſecum tuliſſe fertur ac monſtraſſe pontifici. Hic aliam exhibuit, qua idem Apoſtolus ſub Nerone vinctus fuerit. Factúmq; aiunt, vt catenæ inter ſe connecterentur, vt vna fieret, quæ miraculis claruerit. De commentis non laboro. Hoc liquet omnibus, vt in catena perpetuus quidam nexus eſt, vt annulus annulum trahat: Sic crucis vinculum credentes diu & duriter conſtrictos tenet, ita vt à fine afflictionis plerumque alterius initium pendeat. Hinc veteres dixerunt, Τὸ κακὸν ἐκ κακοῦ ἐκγεννᾶται. Et rurſus: *Nullum malum abſque incurſu alterius.* Docet præterea, tolerabilem & iucundam reddi crucem, ſi animis expendamus, vbi ſimus? *Non in paradiſo, ſed in exilio: nondum in tumulo, ſed in ſtadio, vbi currendum, ſudandum, laborandum, ſuſtinendum, abſtinendum, ſperandum.* Qui ſimus? *Chriſti diſcipuli, eiuſdemq; in vitâ ſectatores, ac proinde paſsionum ipſius ſocij (2. Corinth. 1.)* Quo in ſtatu ſimus? *Armorum & militiæ.* Quo ſub vexillo? *Crucis.* Quo Domino? *Eo, qui crucem ipſe tulit, & crucis particulam nobis impoſuit, de noſtro pauper factus, de ſuo diues, vt ex*

ipſius

ipſius plenitudine ſpiritualibus bonis omnes abundemus. Docet, fidem afflictionibus velut aurum igne ſplendeſcere, aduerſitatúmque procellis tanquam vnionem ſuum acquirere nitorem: exempla ſimul proponit eorum, qui cùm ſe, vitam, fortunas, conſilia, actiones Deo omnes conſecraſſent, magna tamen ac infinita diſcrimina adierunt: Docet denique, ærumnas fine bono terminari, eáque quæ in vita nos vrgent, licet aſpera videantur, nebulæ in morem tandem ſuperari ac vaneſcere.

Iam & ab incendio conſolationes nec paucas nec minimi ponderis deducemus. Atque hîc primum & inter cætera non minimum eſt, quòd ipſa hæc vrbis deflagratio nec noua nec inter alias plurimas maxima cenſeri debet. Exempla in ſuperioribus multa prolata ſunt, nunc iſta ἐπιτροχάδην meminerimus. Erfurdiæ vrbis quarta ferè pars cremata eſt, annum circiter 1393. Aliquot oppida Miſniæ, incendiarijs clàm immiſsis, circa idem tempus in cineres rediguntur. Intra annos duodecim, facto initio ab anno 1470. partim improbitate, partim hominum negligentiâ decem oppida in hoc territorio & locis finitimis conflagrarunt. Dreſda vltra dimidium flammis ſubſedit, quibus ſummum vrbis Templum cum adiuncta turri fœdè proſtratum eſt, anno 1491. Ratisbona ab Othone I. Imp. obſeſſa, deditione poſt acres conflictus factâ, altera nocte poſt ſolutam obſidionem, incerto authore, anno 953 tota cōflagrauit miſerabili prorſus ſpectaculo, *Triſtis* (inquit Originum Saxonicarum author) *Vrbis magnificæ aſpectus, cuius ciues ferro extincti erant & fame, ager direptus ab hoſtibus, ædificia denique ſubſediſſent flammis.* Eilenburgum ſub Diterico comite totum exuritur anno Chriſti 1018. Iterum plus quàm dimidia ſui parte anno ab hinc 64. Veronæ in Sacello quodam veteri legitur: *Anno Domini 1172 combuſta eſt ciuitas Verona: propter peccata veniunt aduerſa.* Quæ exempla minimè adducerem, niſi res doceret, lenius plerumque

ferri

Digitized by Google

ferri ærumnas, quæ pluribus & quidem bonis acciderunt.

Eſt quidem incendium, ſi rem recto mentis iudicio æſtimare volumus, inter mala nec minimum, nec contemnendum, ſed *longè grauiſſimum onus, & quadam quaſi coarctatio* (*Pſal. 66.*) *Plumbi talentum* (*Zach. 5.*) *locus concluſus & tenebroſus, compedibus iniectis prægrauans* (*Thren. 3.*) adeóque παιδεία οὐ χαρᾶς, ἀλλά λύπης (Ebr. 12.) Et tamen calamitates dari poſſunt magis multò graues & formidabiles. Motu terræ, vt ſuprà indicaui, oppida ſæpe corruerunt, clade in homines, iumenta, fortunas communiter ſæuiente: Lacedæmone olim plurimæ ædes ruinam trahentes ſupra viginti millia hominum exanimârunt. Ferrariam terræ motus anno ab hinc 34 ita quaſſauit, vt mœnia, arces palatia, templa, turres omnesque fere ædes, cum maximo ciuium damno euerſæ ac proſtratæ ſint. Sæpe ingentes terrarum tractus cũ oppidis, caſtellis, villis, pelago intumeſcente, abſorpti ſunt: Hoſtium irruptiones ampliſsimis ſæpè vrbibus vaſtitatem intulerunt, nihil præſidij ac opis fugâ conferente, qua in incendijs plurimi ſeruantur. Sed nec tanta incendij atrocitas fuit, (licèt ingens eius eſſet ſæuitia) quin certa quædam & euidentia diuinæ protectionis indicia vel inter flammas enituerint. Non nocte intempeſta exortum eſt, non iumenta aut homines violauit, ſed in ſtructuras deſæuijt, ita tamen vt ſupellex in tuto collocari à multis haud ægrè potuerit. Sed nec templum magnificum nec mœnia ceciderunt: Quod niſi diuinæ bonitati acceptum feramus, nimis ingrati videbimur. Apud Perſas ſi ob delictum verberibus Satrapæ mulctandi eſſent, veſtimenta ipſis detracta loris cædebantur. Idem Dei ferè mos eſt, parcit corporibus & vitam miſericorditer ſeruat, tecta interim & fortunulas ob peccatum aufert, ædificia proſternit, agros verò & ſegetes, quibus corpora nutriuntur ſeruat, quæque ipſius bonitas eſt, meſſem aut vindemiam ſæpè vberiorem largitur, aut facultati-

O bus

bus benedicit copioſius, vt quod altero diminutum fuerat, altero abunde videatur redditum.

Oculos quæſo ij quos incendium attigit, ab externa eius contemplatione, quæ nil, niſi horrorem, cladem, damna, ruinas, exilia, exitia exhibet, pauliſper abſtrahant, & πανολεθρίαν illam iuxta verbi diuini præſcriptum, animi oculis intueantur, quos homo interior pandit, qui veteri abolito, per incorruptibile verbi ſemen Spiritus ſancti virtute generatus eſt: Spectaculum ſe dabit minus formidabile aut eiuſmodi certè, quod *manus remiſſas & ſoluta genua facilè queat erigere* (*Ebr. 12.*) Videbunt igitur incendium nil niſi humanā quandam afflictionem ſiue (vt Paulino verbo vtar) tentationem (1.Cor.10.) eſſe, ſuperatu facilem, ſi cum grauioribus alijs, inprimisque *Spiritualibus Satanæ aſtutiis* in comparationem veniat, quibus ſæpenumero *pij ad ſanguinem vſque reſiſtunt* (*Ebr. 12*) videbunt *paternam caſtigationem* (*Rom. 12.*) *& plagas filiorum eſſe* (*2.Sam.7.*) *neque enim juxta plagam percutientis cædimur, nec ſicut interfecti occidimur, ſed cum modo judicamur*, quemadmodum Eſa. 27. expreſſum legitur. Sentient particulam quandam exiguam, vel tenuem potius guttam eſſe poculi illius, quod electis in his terris Deus αὐτοκράτως miſcet (Pſal. 75.) videbunt *virgam eſſe, qua filij emendantur, non magnæ occiſionis gladium* (*Ezech. 21.*) deprehendent caſibus ijs annumerandum, quibus, *ne prorſus collidamur, manum Deus ſupponit* (*Pſal. 37.*) Indicia quædam eſſe cognoſcent, è quibus appareat, quid quiſque ſuper fundamentum extruxerit, quàm verè & ardenter Deum diligat, quàm patienter præſens incommodum ferat. Animaduertent tribulationes eſſe, quarum per ſalebras & vepreta, tanquam auia & aſpera locorum ad vitam beatam tendimus (Matth. 7. Rom. 8. Apocal. 7.). Explorationem eſſe affirmabunt, qua *rubigo argento detrahitur, vt vas purius exeat* (Prouer 25.) Ad μετάβασιν pertinere ſentient, de qua Iohan. 5. Seruator, *tranſiuit* (inquit) *à morte in*

re in vitam. Quid eſt enim illud tranſire? niſi per vitæ incommoda, caſus, afflictiones, animorum anguſtias, querelas, ſatanæ tentationes, Mundi ludibria, tyrannorum ſæuitiam, preſſuras, pericula morte diriora, haud aliter atque è concluſo carcere ad liberiorem auram perrumpere, aut enauigatis pelagi commoti fluctibus portum ſubire, è morte denique in vitam, vt infans ex materna aluo penetrare? Videbunt denique, huiuſmodi incendijs de triſti & miſerabili ruina generis humani ſe commonefieri, vt ex his infeliciſsimis fructibus, magnitudine peccati profundiùs agnita, ad liberationem eò ardentius adſpirent, non eam ſolùm, quæ peccatum omnimodè extinguit, ſed & carnis mortalitatem in vitam cœleſtem ac perennem abſorbet, in qua nec peccatis, neque vllis anxietatibus locus futurus eſt.

Ad quartum genus conſolationis venio, cuius ſumma in hoc vertitur, quòd plurima & præcipua quidem bona diuinum numen ciuibus reliquit, eáq; non corporalia ſolum, ſed ſpiritualia & æterna: Hæc porrò iam videamus.

Igitur ex corporalibus quàm multa quæſo ſeruata ſunt? Vita, valetudo. Tu in lucro id pone, & cauſam tibi oblatam exiſtima, Cur Dei in te bonitatem corde, ore, opere prædices. In hoſtium poteſtatem vrbium regina Hieroſolyma veniebat. Quod nam cenſes, in communi illa ruina, pietatis pręmium Abdemelechum Aethiopem, ipſúmq; Ieremiam cũ Barucho amanuenſi tuliſſe? Illud videlicet, quòd in perturbatiſsimo rerum ſtatu *animas* (vt ſcriptura loquitur) *in ſalutem eripere* ipſis licebat (Iere 39.45.) Et ſalutis noſtræ aſſertor Chriſtus, Romano milite ingruente, *fuga ſalutem quæri vult*, (Matth. 24.) eo ipſo nos admonens, in publicis cladibus beneficij loco habendum, ſi vitæ retinendæ poteſtas detur, cæterorum, quæ fortunæ bona appellantur, quantumcúnq; diſpendium æquis animis ferendum. At non vita ſolum & valetudo, ſed & vxor ſeruata & li-

beri, quibus quæ tandem κειμήλια quantumlibet pretioſa æquari poſſunt? Filiolum tibi propone, cum præſertim, qui ſpem probitatis & indolis eximiæ affert. Optionem dari exiſtimes, vtrum hunc velis amittere ac hoſti tradere diſcerpendum, an concedere vt incendio domus pereat? Cedò, annon hoc malles? filium ſeruatum velles, vel ſi cum tectis ac fortunis vita ipſa tibi relinquenda ſit? Et animum in tranquillum reuocare non potes, ſi teipſo, ſi vxore ſi liberis ſeruatis ædiculæ iactura facta ſit. At plura ſunt, quæ reliqua tibi eſſe voluit, honores, dignitates, officium. Quæ profectò eiuſmodi omnia, vt ſi ſalua hæc ſint, facilè eorum, quæ amiſſa putas, iactura ſarciri queat. Sed & fortunulæ quædam ſeruatæ ſunt, Agri, prata, veſtes, iumenta, lectuli, ſupellex, & qui his omnibus præſtant, amici. Et adhuc animus ſe dolore cruciat? Annon enim iſtorum omnium expers, imò nudus in mundum intraſti? & quis non ſine his per mortem exit? Quàm multi verò, qui abſque his vitam non incommodè ducunt? Celebre iſtud Chryſoſtomi: ὑποδημάτων ἄνευ καὶ ἱματίων δύνατον ζῆν· γεωργικῆς δὲ χωρὶς ἀμήχανον. Quin igitur dolorem repr[i]mis? vt corpus vmbra ſequitur, ſic vitam tenuia illa velut ſarcinulæ ac impedimenta quædam comitantur, non quòd ſine his vita conſtare neſciat, ſed quòd ad vitam commodius & ſuauius paulò agendam, vtcunq; requirantur.

Inter bona ſpiritualia præcipuum, præſtantiſsimum ac perfectiſsimum Deus eſt, qui ſe nobis in ſolidum relinquit, gratiam (modò piè ea vtamur) incolumem ſeruat, præſentiam vel medijs ærumnis non adimit, liberationem omnibus policetur. Vix audiuerat credentium ille pater, Deum familiæ & poſteris gratiâ ſua affuturum. Quid ille? Nimio hoc velut pondere grauatus pronus cadit in terram, ſe ſuáq; omnia, vitam inſuper & ſalutem Deo conſecrans. Deum propitium fore cernens Propheta, cœlum & terram neglectui habendam putat, nihil exter-

ritus,

Digitized by Google

ritus, ſi vel naturæ compage ſoluta, in antiquum chaos ruant omnia. Nos verò Dei curâ ac præſidio tecti gratiâ communiti, non ædiculam contemnemus? *Beatus populus* (inquit Pſal.142) *cui Deus adiutor eius*, Ego beatum cenſeo, cui pater eſt. Hunc ſe nobis futurum in verbo oſtendit, exemplis piorum probat, factis quotidie declarat. Omnia nobis Deus eſt, ſi volumus, *in vita gaudium, in cruce ſolatium, in morbis auxilium, in periculis aſylum, in morte præſidium, in futura vita præmium.* Non eum vel ignis aufert, vel fluctus eripit: Nihil perdidiſſe te credas, ſi hunc theſaurum poſsides. Te enim ſibi, ſe tibi ſeruat, terram vſibus tuis parat, cœlum æternis hoſpitijs deſtinat. Mundum is quidem complexu atque imperio ſuo tenet, At nihil habere ſe putat, te niſi habeat, nihil perdit, niſi tu prius per incredulitatem tibi pereas, pro quo ne perires filium tradidit. Hannam mœrentem maritus alloquens, *Nonne*, inquit, *ego tibi plus ſum, quàm decem filij*? Tu vnum hunc, tantæque bonitatis & miſerationis Deum, plus tibi eſſe non credes, quàm decem Mundi eſſe poſſint? Sed & verbum reliquit, cuius ea vis eſt, vt vel maximis ærumnis, ſi quando animi ijs ſauciantur, medelam inueniat. Sat diues cenſendus, qui verbum habet. Hoc enim *in vita dux eſt, in morte lux eſt, in fame cibus, in ſiti refectio, in aduerſis dulcedo*, Sacramenta præſertim ſi concurrant, hoc eſt, verbi & promiſsionum diuinarum ſignacula. His dignè vtentes, leones efficimur, ad quoſuis tentationum impetus parati, animoſi & alacres, vel ſi mors oppetenda, nedum tectum, ager, pecunia, amicus aut dignitas amittenda ſit. Quin Stilponis exemplo ex incendio omnia efferimus, ſi cœlitus delapſum ancile ac (liceat ſic loqui) palladium illud, verbum ſcilicet è patris ſinu per filium prolatum (qui Peleh, & admirabilis & ſapientia appellatur) velut precioſiſsimum theſaurum nec morte nec ſorte amittendū, nobiſcum efferamus. His igitur ſaluis, ſalua & in vado omnis

tes eſt, vt maximè montes moueantur, colles tremiſcant, ipſiq; adeò malorum tempeſtatibus deiecti penitus ac conuulſi videamur (Eſa. 54) Fides modò nō deſit, quæ Deum bona nobis promittentem quærit, quæſitum inuenit, inuentum prehendit, apprehenſum Iacobi exemplo arctiſsimè tenet. *Vnusquisque enim* (Chryſoſtomo teſte) *ſecundum Dominica promiſſa tantum accipit de Dei ope, quantum ſe credit accipere, nec eſt quod omnipotens præſtare non poſſit, niſi accipientis fides caduca defecerit.* Iam & virtutes, ſi quæ erant, & fama honeſta relicta ſunt, quæ rebus aduerſis non minus ac lætis nitent. Scitè enim idem ille author, *Licet quis Margaritam* (inquit) *in luto conculcet, nihilominus illius demonſtrat pulchritudinem: Sic virtus quocunq; eam proieceris, ſuum declarat decus, etiam in ſeruitute, etiam in carcere, etiam in afflictione, etiam in proſperitate.*

Reliquit deniq; æterna, quæ vel ſola tam immenſa tamq; infinita ſunt, vt illorum cauſa vel vitæ ærumnoſo carcere liberari ſe pij quotidianis precibus exoptent. Nam hæc demum vita appellanda eſt, quam nec dolor vrit, nec morbus infeſtat, nec peccatum vrget, nec mors terret, ſed vbi amica, iucunda, grata, optabilia omnia. Seculi huius labes & maculæ ſunt incendia, fames, carcer, bellum, exilia, morbus, ruinæ, cædes, mors: cum ſeculo finiuntur. Illic in æternitate felicitas, in felicitate æternitas eſt. Huc contendentes ſancti illi Dei homines, ferrum, rogos, exilia, cruciatum pertulerunt, certò exploratum habentes, humanis diuina, terrenis cœleſtia, temporalibus æterna in infinitum præſtare.

Verum obtendi hic quædam video. Multa, inquis, amiſſa ſunt. Videamus quænam ſint illa tam multa. Aedes, inquis, tàm publicæ quàm priuatæ, numero plurimæ, vſu commodæ, elegantes aſpectu. Sic eſt: Eadem enim ferè ſtructurarum cōditio, quæ hominum. Naſcuntur hi & lentè & ſingillatim. At vna ſæpè

acies,

acies, vna febris peſtilens, quàm immanes cadauerũ aceruos, vel temporis puncto ſtruit? Quod in homine nemo miratur, qui Deo ac vitæ immortali genitus eſt, id tantam in vrbibus ac ædificijs admirationem parit: quę & rariùs, nec tanto cumulo & numero diſſoluuntur. Scitum profecto illud Græci authoris: ἀποθνήσκουσι πόλεις ὥσπερ καὶ ἄνθρωποι, *Emoriuntur vrbes non ſecus atque homines.* Meæ ipſius ædes, (inquis) flammis ſubſederunt: At inſtaurabuntur, non te ſolum conſilium, vim, vires, auxilium cõferente, ſed alijs pluribus, ac principe quidem inprimis, cuius munificentia nemini non patet multò maximè autem Deo ipſo, qui curam tui agit, ac proinde benignè ac paternè prouehet domus collapſæ inſtaurationem. Rectè enim Philo, ἐν ἀπόροις πόρων εὐπορεῖν ἴδιον θεοῦ. Supellex inquis multa perijt. Itáne verò ſupellex? At quàm tu multam dicis, ego tenuem & perexiguam *vſu* fuiſſe pronuncio. Neſcio enim qua animorum prauitate fiat, quòd non, quàm vtilia pleraq; ſint quæratur, ſed quàm multa domi ad ſplendorem & pompam recondita ſint, vix annorum decade in vſum vocanda. Inutilia ſunt, ſuperflua ſunt, & niſi me ſenſus fallunt, eiuſmodi, quibus parandis argentum perditur, ſeruandis, reponendis, commutandis, tergendis, inſpiciendis tempus amittitur. Vt non abs re ſapientiſsimus ille Græcorum μορμολύκεια appellarit, nos obſtacula nuncupabimus, quæ ob id ſæpe à Deo remouētur, vt rebus melioribus cura animorum ſeruiat, vt cor ſoli Deo pateat, ſolus ille in corde regnet, ſolus ſit, in quo ſpes, res, virtus, fiducia ad hæreſcat. Diogenes ollulam cùm pera ac lacerna circũferens abundare ſe dixit, nec ad ſuauiter viuẽdum multa requirerè. Stultæ verò & cynico dignæ ſordes. At tu parũ cōmodè viuere putas, niſi triclinia, cubicula, conclauia, oẽs ædium anguli & receſſus veſtimẽtis, vaſis æneis, ligneis aut è ferro & plumbo albo factis, teſtaceis, vitreis, operoſè diſtenta ſint, quæ oneri magis ꝙ vſui habitantibus eſſe cõſueuerunt. Tibi Nazian. illud præ oculis ſit: θυμὲ βλέψον ἄνω, χθονίων δ᾽ ἐπιλήθεο πάντων.

Veſtium,

Veſtium, inquis, ac monilium facta iactura eſt? At eorum ferè, quæ ad ſplendorem faciebant. Noli mirari ea tibi periſſe, ad quæ paranda pridem tibi ac liberis, forſan & creditoribus haud ſine aliqua pietatis ac honeſtatis iactura, magiſtratus certè bonorúmq; offenſione, argentum vel ſine flamma perijt. Rectè Plutarchus, *pecunia* (inquit) *plerumq; mutuo ſumitur non vt panis & alia res ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria emantur, ſed alium domus magnificè extructa debitorem fecit, alium emtiones non neceſſariæ, alium veſtes precioſæ, alium ampla familia.* Pecunias flammis conſumptas dicis: Quaſi verò parari illæ non queant, modò prudentia non deſit, aut labor & opificium tibi non perierit, aut functio quam ſuſtines ſtudio vigili exerceatur. Artem enim quæuis terra alit, induſtria egere hominem non ſinit.

Verùm vt dem tibi, magnum iſtorum omnium diſpendium factum eſſe, Deus tamen tibi ſpectandus, qui aut plura, aut his meliora aut magis etiam conducibilia ſuis reddet temporibus: Imò pro ſua in te bonitate cumulatè iam reddidit, pro tecto Eccleſiam (cuius membrum te eſſe voluit) pro ſupellectili varia rationis, linguæ, animi, corporis dona, atque officia: pro auro ſignato Spiritus ſancti chariſmata, pro veſtibus partam tibi per filium amabilem iuſtitiæ togam, conceſsit. Pauperiem obtendis? Expetenda hæc potius quàm fugienda, ſi cum pietate iuncta ſit. Et quid eſt, quod pauperiem accuſas? Cum te talem mundo miſerit, è mundo olim eductura ſit? Sed nec tanta erit paupertas hæc, vt victum quotidianum non ſuppeditet. Hunc ſi habes, non eſt, quod anxiè multum deſideres. Non te quidem (vt Heliam) corui paſcent, non (vt Iſraëlitis) carnes & panes aër feret, non (vt Polycrati) aurum piſcis fundet: Non ſe cerui & hinnuli, quod pijs quibuſdam obueniſſe ſcribitur, cùm ob perſecutionis metum, locis auijs ſe abdidiſſent, capiendos præbebunt: Quid tùm? *Timentes Dominum non minuentur omni bono.*

bono, Dei enim dextra, non hominis ſed *Excelſi dextra eſt, quæ mutare omnia poteſt* (Pſal.27.) *Domini dextra eſt, virtutem faciens* (Pſal.118) *Ad ſaluandum dextra eſt*, non imbellis, non contracta, non clauſa, non abbreuiata (Eſa.50.) ſed *ſuſcipiens nos* (Pſal.18.63.) *ſeruans & ſuſtinens nos*, ſaluans nos (Pſal. 44.) In Deum igitur, in Deum inquam, cura reiecta ſit. Vitæ author eſt, qui te alet: Omnium dux eſt, qui ornabit: Pater eſt, qui ſatiabit: Gloriæ Dominus eſt, qui malorum gurgite ſubtracto decus ac ſplendorem ſuis temporibus largietur.

Benè igitur, benè inquam ſperent ciues, in Dei miſericordis ope omnem animorum fiduciam collocantes. Hic enim eſt, qui vt Eſa.40. dicitur, *laſſo virtutem dat, ei qui ſine fortitudine erat: robur multiplicat: Expectantes Dominum mutabunt virtutem, alâ aſcendent ſicut aquilæ*, (quaſi dicat Propheta, Expectantes in fide & patientia, poſt afflictionem proſperabuntur, cùm fide tum animi & fortunæ bonis grandeſcentes, ita, vt qui ærumnis proſtrati vix repere poterant, vocationis ſuæ curſum paulò pòſt alacres & magna felicitate abſoluant.

Id modò meminerint ciues aliiq;, quibus ab incendijs damnum illatum eſt, faciem Dei precibus exquirendam, minimèq; ita in anguſtum cogendum ipſius auxilium, vt (quod deſperabundi ſolent) in ſtatum priſtinum ſuis temporibus res afflictas ac perditas reduci non poſſe affirment. Malè profectò Chriſtianam religionem didicerunt, iſtud qui ſentiunt. Res enim docet, adeò Deum in ſuos munificum eſſe, vt vel *de puluere erigere norit pauperes & vocare ea, quæ non ſunt, vt aliquid ſint* (*Roma.4.*) Quod cùm rebus Iudæorum fractis, Propheta cerneret, agrum emit, liberationem è captiuitate innuens Ierem.32. Eodem modo & afflictæ patriæ meæ ciues poſt non maximum temporis interuallum experientur, Deum propitium Gratiæ atque auxilij lumine, velut ſole illato, omnem ſqualorem, caliginem, luctum,

in quo nunc verſatur, depuliſſe. Diſsidia cane peius & angue fugiant, vnanimi conſilio, ſententia & voluntate ea agentes, quæ ad inſtaurandum vrbem quoquomodo facere videbuntur. Rectè enim Thucydides *opinionibus,* inquit, *& voluntatibus diſsidentibus fiunt diuerſa opera.* Tollantur ſuſpiciones, deponantur offenſæ & ſimultates, quæ ſolent cùm in ciuitatibus obſtare concordiæ, tum in omni vita obeſſe tranquillitati. Ceſſent (per Chriſtum oro) æmulationes, quæ nonnunquam vel inſignium maximéq; præſtantium virorum animos occupant, M. Tullio atteſtante, qui, *Eſt,* (inquit) *in hoc genere moleſtum, quod in maximis animis ſplendidiſsimisq; ingenijs, plerumq; exiſtunt honoris, imperij, potentiæ, gloriæ cupiditates.* Vitent ἀστοργίαν in pauperes, atque ſic demum erectum iri oppidum putent, ſi afflicti & miſeri, quibus per inopiam nihil virium ad ædificandum ſuppetit, prius erigantur. Omnes denique qui Deum ad iram commouimus, obſtinationis peccatum, quo vix aliud execrabilius eſt, fugiamus, ne poſt pœnas deteriores ſimus eorum exemplo, de quibus triſtis & querula Dei ipſius vox pud Prophetam extat: *Non ſunt contriti vſque ad hunc diem* (Ierem. 44.) & rurſus: *Percuſsiſti eos, & non doluerunt, attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam.* (Ierem. 5.) Et Amoſi 4. *Facti eſtis ſicut torris ereptus ab incendio & non conuerſi eſtis ad me, dicit Dominus.* Cogitemus (quod res eſt) gratiam homini maiorem contingere in hac vita non poſſe, quàm conuerſionis gratiam & pœnitentiam. Hanc nobis Deus in vnitate trinus benignè concedat, ſeruet, augeat, laudandus in ſecula,

Amen.

M. Paulus Ieniſius Annæbergenſis, Illuſtriſs. aulæ Electoral. Dreſdenſis Eccleſiaſtes.

Digitized by Google